NAZ.
ne III

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LV
G
88
NAPOLI

LV
G
88

39 bis

Digitized by Google

39 bi

MAGISTRIS
SCHOLARUM INFERIORUM
SOCIETATIS JESU
De ratione
DISCENDI & DOCENDI

EX DECRETO

Congregat. Generalis XIV.

AUCTORE

JOSEPHO JUVENTIO SOC. JESU.

FLORENTIÆ. MDCCIII.

Apud Michaelem Neſtenium. *Super. licentia.*

Digitized by Google

MAGISTRIS
SCHOLARUM INFERIORUM
Societatis JESU
DE RATIONE DISCENDI, & DOCENDI.

Ex Decreto Congregationis Generalis XIV.

QUanti ſemper litteras humaniores fecerit Societas noſtra, nemini, qui eam norit, dubium eſſe poteſt. Sanè, cum institutionem ætatis puerilis in prȩcipua ſui muneris parte ducat, negligere litterarum illarum tractationem non poteſt, quæ ſunt cum hac inſtitutione neceſſariò conjunctæ. Eo vero major in his litteris inferioribus ac ſtudiis colendis adhiberi

Digitized by Google

cura debet, quò laboris plus deſiderant, & contentionis, quæ ſenſim, niſi acrioribus in dies acuatur ſtimulis, remittitur, & langueſcit. Quocirca nihil Præpoſitis Generalibus, & Congregationibus antiquius fuit, quam ut omnibus adminiculis erigeretur Profeſſorum noſtrorum induſtria; quod è libello de Studiorum ratione tam diligenter et operosè conſcripto, toties recuſo, atque illuſtrato, perſpici facilè poteſt. Quamvis autem quæcumque in eo de litteris amænioribus ac Scholis traduntur, perſapienter digeſta ſint, ſtrictim nihilominus delibantur: jaciuntur tanquam ſemina, quæ meditando & experiundo colantur, ut optatos fructus ferant. Deinde ratio videtur habita in iiſdem preceptionibus major diſcipulorum, quàm magiſtrorum: præſcribitur quid profeſſores humaniorum litterarum docere debeant; quid diſcere viciſſim ipſi, quam in studiorum curſu tenere viam ac ſequi poſſint, ſiletur. Eas ob cauſas decrevit Congregatio Generalis XIV. Decreto X., Ut præter regulas quibus magiſtri litterarum humaniorum diriguntur ad docendum, haberent Inſtructionem ac Methodum rectè diſcendi, ad quam privata ſua ſtudia exigerent, etiam tunc cum aliis edocendis dant ope-

ram.

Digitized by Google

ram. *Huic Decreto ut ſatisfiat elucubrata hęc Methodus eſt, cujus in priori parte diſcendi ratio Magiſtris proponitur: in poſteriori quædam obſervantur de docendi ratione, et quæ præſcripta ſunt in regulis magiſtrorum tum communibus, tum privatis, paulò uberiùs, & diſtinctiùs evolvuntur.*

Digitized by Google

PRIMA PARS.

RATIO DISCENDI.

MAgiſtri litterarum ſtudioſi eruditio tribus maxime rebus continetur. Primo cognitione & peritia linguarum. Secundo Scientiarum quarumdam perceptione, quibus bonarum artium curriculum quoddam abſolvitur. Tertio denique nonnullis ad ſtudendum adminiculis, quibus & levetur labor, & ingenii vis acuatur. De ſingulis ita diſſeremus, ut præceptiones liberaliter, tanquam in convivio dapes, apponamus. Ex iis quiſque, de moderatorum ſententia, ſeliget, quid, & quantum regionis, ingenii, temporiſve conditio ferre videbitur.

CAPUT I.

DE LINGUARUM COGNITIONE.

ARTICULUS I.

Linguarum cognitio neceſſaria, præſertim Græcæ.

IN linguis præſertim duabus opera ponenda eſt, Latina & Græca: quarum hæc, quia pluſculum difficultatis habet, priore loco perdiſcenda erit. Ea porro Græcæ linguæ dignitas eſt, ut illam qui non calleat, eruditus planè dici nemo poſsit: ea utilitas, ut facem una præferat clariſſimam ad intelligendos ſummarum artium ſcriptores, in quibus cęcutire turpiter oporteat Gręcè neſcientem: ea demum neceſſitas, ut abſque illa, sacrorum codicum aſſerere veritatem, ac genuinum ſæpe ſenſum aſſequi nequeamus, imo religionem ipſam tueri contra hæreticorum cavillationes, & corruptelas, quibus ſanctiſſima Fidei catholicæ monumenta fædiſſimè depravarunt. Et quamvis non deſint librorum Græcorum interpretes bene multi, ſæpe tamen illi hallucinantur, ac deerrant; neque vim, majeſtatem, proprietatem Græ-

ci ſermonis ſemper aſſequuntur. Tum, præclarum eſt puros latices ex ipſo fonte petere, qui procul in rivulos alveoſque peregrinos fuſi, neque ſaporem nativum retinent, nec rarò ſordibus ac limo inquinantur. Certè quantò religionis hoſtes cognitione Græcæ linguę gloriantur inſolentius; tantò nos acriùs in ejuſdem intelligentiam cónvenit incumbere, ne remiſſior ad veritatem tutandam & illuſtrandam proborum induſtria, quàm improborum ad eam obſcurandam convellendamque fuiſſe videatur.

§. I.

De modo linguæ Gręcæ perdiſcendæ.

IN tribus potiſſimum cognitio cujuſque linguæ conſiſtit. 1. in ſingulis verbis. 2. in eorumdem nexu & coagmentatione, quę Syntaxis dicitur. 3. in illorum proprietate, uſu quodam certo, ac lepóre; qui Stilus, & elegantia, nuncupatur. Faciendum itaque Magiſtro linguæ Græcæ Studioſo erit, ut primo radices Græcarum vocum mandet memoriæ ſingulis diebus, ſex, verbi gratia, decem, aut plures etiam, ſi felicior memoria ſuppetat, niſi quis fortaſse illas inter legendum adnotare malit, quod operæ ac tædii minoris eſt: ita verborum cognitio comparabitur. Deinde grammaticam Græcam, ejuſque præ-

ce-

Digitized by Google

ceptiones, ducto a facilioribus initio, altè in mentem defigat: ita Syntaxim perdiſcet. Clenardi grammatica brevis eſt & expedita; Mocquoti, & Gretſeri, paulo amplior; omnium longe optima, Anteſignani; cujus tamen obſervationes quædam difficiliores non niſi jam provectioribus erunt adeundæ. Certum igitur quotidie tempus illi verſandæ tribuetur: tum in auctore lectitando ſi qua vox difficilior occurret, ſi qua diſcrepans a lege communi, excutietur illa diligenter, nec finis inveſtigandi fiet, dum ad fontem difficultatis denique perventum ſit. Tertio, Græcus aliquis ſcriptor legetur, ac primo quidem facilior, ut Evangelium à Divo Luca conſcriptum: Actus Apoſtolorum, ab eodem exarati: opuſcula quædam SS. Baſilii, Gregorii Nazianzeni, Chryſoſtomi: è profanis auctoribus Iſocrates, aut Xenophon; poſtea ſalebroſior aliquis, ut Demoſthenes aut Thucydides, evolvetur. Juvabit interdum marte ſuo conficere latinam interpretationem, non è libris, ubi vel è regione aſſidet, vel inſidet Græcis totidem vocabulis, repetere. Item, quando explicata & reddita latinè Greca pagina fuerit, voces latinas Græcis exprimere: quod percommodè tum fiet, ſi præſto ſit quiſpiam, cui rationem auctoris explicati reddas, quem audire interrogantem liceat, ac viciſſim interrogare: atque ille, ſi fieri poteſt, Græcis literis jam ſit paulò excultior,

qui

Digitized by Google

qui regere ceſpitantem , & erigere lapſum , poſsit .

Poſtquam parta fuerit aliqua ſermonis Gręci facultas , quod anno uno quilibet non omnino hebes , facile conſequetur , deguſtandi erunt poetæ Græci , præſertim Homerus, oratorum ille omnium ac poetarum parens. Dialecti variæ cognoſcendæ idcirco erunt . Voces difficiliores , quæ occurrunt in Homero , aliiſque vatibus Græcis , enodatas habes in libello qui *Homerica clavis* inſcribitur ; in Schrevelii dictionario , in Anteſignani grammatica , in Lexico, & Theſauro Græco . Vocabula oratorum propria , quæ poeticis reſpondent, ſuppeditabit interpretatio Didymi, quę Homero Batavicis cuſo typis adjuncta eſt. Ab Homero fiet ſubinde gradus ad Pindarum, Anacreontem , Theocritum : quos ſaltem primoribus non attigiſſe labris , pudendum eſt . Denique ad poetas tragicos, Sophoclem pręſertim & Euripidem. In legendo tria quę diximus , obſerventur : verba ſingula : eorum nexus & collocatio ; demum vis , proprietas, & elegantia univerſę dictionis .

A primo ſtatim anno magiſter ſciendi cupidus animum & operam ad Græcam linguam adiiciat ; eſt enim hoc uſu comprobatum , qui Grecas litteras mature non arripuerit , vix unquam eſſe ut eas comprehendat : adeo valet in ea re Virgilianum illud : *à teneris aſſueſcere multum eſt* . Itaque primo biennio , cum do-

docendi munus ſuſcipit,certum quotidie tempus ſermoni Greco tribuat: cujus temporis pars prior grammaticę legendę: poſterior Gręco ſcriptori aſsignetur. Sub noctem Gręcas radices memorię mandabit; ac poſtridie mane recolet.

Quo faciliùs autem intelligantur auctores Gręci quonam ordine ac fructu legendi ſint, non erit, opinor, alienum quid ſinguli ſcripſerint; quotempore, ac modo ſcripſerint, breviter indicare.

§. II.

Auctores præcipui Linguæ Grecæ.

HERODOTUS, patria Halicarnaſſenſis, anno mundi 3571. natus eſt; ab Urbe condita 271. Perſici pręſertim imperii ſcripſit hiſtoriam novem libris, quibus Muſarum totidem nomina impoſuit. Jonica dialecto utitur, ejuſque oratio ſine ſalebris, quaſi amnis ſedatus, Tullio teſte, fertur.

THUCYDIDES Athenienſis, natus anno Mundi 3579. ab Ur. cond. 279. floruit belli Peloponneſiaci tempore, cujus ipſe ſcripſit hiſtoriam; annos 28., quibus hoc bello Græcia conflagravit, octo libris complexus. Utitur attica dialecto: ſubtilis eſt, acer, ſententiis abundans, verborum parcus. Tanti eum Demoſthenes faciebat, ut octies manu ſua de-

deſcripſerit, quò ſtilum ejuſdem pleniùs animo combiberet.

ISOCRATES annis quinque ante bellum Peloponneſiacum natus perhibetur: Athenienſis orator imprimis elegans ac diſertus. Laudatur ejus ſcribendi ratio numeris belliſſime fluentibus aptè comprehenſa.

XENOPHON floruit anno Mundi 3650. Cyri junjoris temporibus: Athenienſis dux et hiſtoricus, diſcipulus Socratis; propter ſuavitatem ſermonis, Attica Muſa, dictus. Celebratur potiſſimum ejus liber, cui titulus eſt Cyropædia, ſive Cyri inſtitutio. Scripſit res Grçcorum, inde orſus ubi Thucydides deſierat.

DEMOSTHENES, Athenienſis, eloquentiæ Græcæ lumen, cujus veſtigia premere præclarum ſibi Tullius duxit, quem unum teſtatur eminere inter omnes in omni genere dicendi, ortus eſt anno M. 3672. U. c. 372.

EPICTETUS, Hierapoli natus in Phrygia, viguit Neronis tempore, Philoſophus Stoïcus. Reliquit Enchiridion, ſeu libellum in quo multa de moribns egregiè diſſerit. Hunc Angelus Politianus latinum fecit.

PLUTARCHUS, natione Bæôtus, patria Chæronenſis, ſub Nerva, & Trajano Romanis Imperatoribus ſcripſit, hoc eſt circa centeſimum humanæ ſalutis annum: vir doctiſſimus ac prudentiſſimus, duriore tamen utitur ferè ſtilo. Duas in partes ejus opera tribuuntur; prima complectitur vitas illuſtrium Grç-

co-

corum & Romanorum, quæ Parallelæ dici ſolent, quia Græco duci ſolet Romanum opponere: ſecunda continet opuſcula varia, ad mores ut plurimum ſpectantia.

LUCIANUM, Samoſatenſem, Gerardus Joannes Voſſius Marci Antonini temporibus ſupparem cenſet: alii ad Trajanum referunt. Elegantiam orationis & amænitatem ingenii, morum pravitate fædat, improbè paſſim & impiè facetus. Itaque cautè admodum, nec totus, legendus eſt: præſertim notatis in Indice librorum prohibitorum locis. nimirum De morte Peregrini, & eo dialogo qui Philopatris inſcribitur. Ejus quidam dialogi mortuorum, Timon, Charon, Judicium vocalium, ſomnium, impune legi poſſunt.

De Hiſtoricis Græcis aut Sophiſtis, in quibus non tam linguæ concinnitas, quàm veritas hiſtoriæ aut facultas dicendi, quæritur, locus erit poſtea diſſerendi commodior.

Quod attinet ad Poetas Græcos principatum in illis obtinet Homerus, cujus natales non abſunt longè a Romæ natalibus, id eſt, ab anno M. 3300. Poſtquam ſuperatæ fuerint dialectorum ſalebræ, & complanata pauliſper ad ejus intelligentiam via, tum licebit admirari & obſervare in Divino poeta non tantum verborum varietatem, ubertatem, vim, lumina; ſed etiam ſententiarum dignitatem, facundiam orationum, deſcriptionum venuſtatem, picturas morum, aptam coagmentatio-

Digitized by Google

tionem rerum & eventuum, in tanta diſſimilitudine ſpectantium ad unum finem, eóque ſine aberratione properantium. Neque eſt quod quemquam offendant humiliores aliquę comparationes, & alia id genus priſcæ ſimplicitatis candoriſque, nunc fere ignoti, veſtigia, aut commenta & flagitia falſorum Numinum, quæ nemo ſapiens ethnico poetæ, ac ſuorum temporum mores deſcribenti, non ignoſcat. Duo maxime ſcripſit poemata. Primum eſt Ilias ſive Achillis victoria cæſo Hectore, quam Trojæ excidium conſequitur. In hoc poemate regum ac principum, ſeu perſonæ cujuſlibet publicæ, mores inſtruit, propoſitis in Achille præſertim exemplis laudis bellicæ, prudentiæ, & fortitudinis. Alterum Odyſſea inſcribitur, ſive Uliſſis in Patriam reverſi victoria de procis, quibus cæſis uxorem ac domum recipit. In eo carmine laudes hominis privati & virtutes docet. Lege opuſculum Patris Mambruni de carmine Epico.

HESIODUS attigit Homeri tempora. Ejus mortem aſſignant multi anno Mundi termilleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſexto, qui eſt trigeſimus ſecundus, ante primam Olympiadem. Natus Aſcræ, in Boeotia, centenario major obiiſſe fertur. Ejus poëmata præcipua ſunt, *Ἔργα καὶ ἡμέραι*, & *Θεογονία*. Rarò aſſurgit, Quinctiliano teſte, *Lib.* X. *cap.* I. utiles tamen in tradendis agriculturę, morum, & naturalis philoſophię præceptis, ſen-

ten-

tentias habet: daturque illi palma in medio genere dicendi.

ANACREON, ex inſula Teo, in Jonia, oriundus, ſcribebat circa annum M. 3520. et 220. ab Urbe condita. Sunt ejus odæ plenæ lepóris, & lenisſimæ elegantiæ, at turpiculę magnam partem & legendæ cum delectu. Edidit Anacreontem Jo. Foppens Bruxellis ante annos 40. aut 50. detractis, aut paulum immutatis quę caſtis oculis legi non poterant.

PINDARUS, Thebanus, Lyricorum princeps, anno M. circiter 3574. claruit. Magnos habet ſpiritus, & *immenſus profundo ruit ore*, ut canit vates latinus, illo non minor.

ÆSCHYLUS poeta tragicus, eadem ferè, qua Pindarus tempeſtate vixit. * Tragædiam adhuc rudem, & pæne agreſtem exornavit.

SOPHOCLES Æſchylo ſuppar, cum eodem de tragædiæ palma ſæpe ac feliciter certavit. Elatus gaudio propter victoriam de vatibus æmulis reportatam, quos duodeviginti certaminibus profligarat, victus ipſe lætitia, obiit. Hunc Ariſtoteles, Cicero, & Virgilius videntur tragicis omnibus antetuliſſe, ac merito. Perſonas quippe actorum egregiè deſcribit, deſcriptas ab incæpto ad imum ſervat; eſt acer, eloquens, terſus, &c.

EURIPIDES, poeta, itidem ut Sophocles, tragicus, & Athenienſis, etſi multis rebus illo

* *circa annum M.* 3580.

illo inferior eſt, ſententiis tamen & morum præceptis pluribus abundat.

ARISTOPHANES, Comicorum poetarum facile primus, circa annum M. 3614. viguit. Ejus dictio Attica quidem & pura, ſed facetiis ac ſalibus plerumque putidis & obſcenis, referta eſt, qui veteris comædiæ mos erat.

THEOCRITUS, Syracuſanus, carmine Bucolico nobilis fuit, Ptolemæorum Lagidæ & Philadelphi, temporibus, anno ab U. c. 469. Ineſt in eo inſignis & carmini paſtoritio accomodatus nitor, ac nativa ſimplicitas ſine arte & fuco.

BION & MOSCHUS, Bucolici pariter poetæ, ille Smyrnæus, hic Syracuſanus, non procul abſunt ab ętate & elegantia Theocriti.

CALLIMACHUS, Cyrenenſis in Ægypto, ſub Ptolemæo Philadelpho ſcripſit hymnos, elegias, epigrammata, verſu admodum puro & polito.

Vixere poſt Chriſtum poetæ Græci non contemnendi, ut Oppianus, Nonnus, Sanctus Gregorius Nazianzenus. Inter recentiores haud ſcio an quiſquam in hoc genere pręſtet P. Dionyſio Petavio, qui Davidicos pręſertim pſalmos Græcis verſibus elegantiſsimè reddidit.

AR-

ARTICULUS II.

STUDIUM LATINI SERMONIS.

§. I.

De Stilo univerſe.

PRima, ut monuimus, ſtudioſi magiſtri cura meritò tribuenda Græcæ linguæ, utpote antiquiori: proxima Latinæ, qua cùm utamur plurimum, maturè providendum eſt, ut optima latinè ſcribendi ratio, qui ſtilus dicitur, ab omnibus procudatur.

Siquidem *ſapere, eſt*, Horatio teſte, *principium & fons rectè ſcribendi*, ſequitur ut ſtili, qui nihil aliud eſt quàm certus ſcribendi modus, duæ ſint partes, prima, cogitatio, ſive ſententia ſapiens, & recte conformata: altera, ipſius ſententiæ expoſitio: ut, quemadmodum homo ex anima & corpore, ſic è ſententia, & eius enarratione ſtilus omnis effloreſcat.

Id universè de sententia dici poteſt, videndum eſſe ut vera ſit, deindè ut perſpicua, poſtremo ut argumento quod tractatur, accomodata. Quemadmodum enim argumentum exile ac minutum ſententiis grandibus & verbis perſequi, niſi quis ridere velit, ineptum eſt; ſic amplum & illuſtre jejuna & hu-

mili oratione tractare, frigidum ac miſerum. Lege Quintil. lib. xi. c. 1.

Ut verè de rebus cogitemus efficit ingenii ſolida vis & perſpicax, quæ quid unicuique rei ſubſit, quid oculos mendaci decipiat fuco, videt. Adjuvat bonorum librorum lectio: necnon materiæ propoſitæ ad dicendum accurata & diuturna, non levis, ut plerumque fit, ac deſultoria meditatio; eius partium, cauſarum, adjunctorum conſideratio: denique prudentum cenſura, quam criticen vocant. Id poſtremum & ſi omnibus curæ & cordi eſſe debet, iis profecto qui rudes adhuc in ſcribendo ſunt, multo eſt neceſſarium magis, ut alienis regantur oculis, qui nondum utuntur ſuis.

Iiſdem adjumentis paratur perſpicuitas. Multum eidem quoque præſidii eſt in rerum ordine, in ſitu verborum. Extrema duo ſunt illi præ ceteris inimica; nimia brevitas & nimia prolixitas *

Expoſitio ſententiæ, ſive elocutio, quæ maximè ſtilum continet, in verbis poſita eſt. In iis obſervare quinque licet: proprietatem, elegantiam, nexum inter ſe, collocationem, & copiam. Multum afferent opis ad verborum elegantiam & proprietatem cognoſcendam libelli quidam: is, verbi gratia, qui ab Laurentio Valla eſt elaboratus de Latini ſer-

monis

---

* *Vide infra, num.* 10.

monis elegantia: alius ab Antonio Schoro, de verbis Ciceronianis: item alius ab Adriano Cardinali conſcriptus eodem ferè argumento. Quos tamen libellos cave ſic legas, ut in iis terendis omnia eſſe putes; lectione crebra optimorom Scriptorum plus multò aſſequêris: indicabunt illi tamen libelli lepores quoſdam & delicias latinitatis, legentiſque palatum velut exacuent. Verborum nexus, & colligatio ſententiarum, quæ in Tullio tam inſigniter elúcet, efficitur quibuſdam particulis, quas in eo facile deprehendes, quaſque proprio commentario Horatius Turſellinus noſter explicuit. Hanc vim habent ejuſmodi commiſſuræ, ut nihil in ſtilo ſit abruptum, nihil hians ac diſſutum. Verborum collocationem aptam aures expendunt; ipſa compoſitio perficit, dum cavetur, ne qua vox remotior, ne qua ſit propinquior; ne qua tribui poſſit alteri voci, & cum ea jungi, a qua diſſidet. Profuerit legere Progymnaſmata, ſive obſervationes, quæ ad calcem Apparatus latini in Ciceronem, vulgo reperiuntur. Copia verborum facile comparabitur multum legendo: nonnihil ex iis quę lecta fuerint excerpendo: latine crebro ac diligenter loquendo: rem unam & ſententiam variis locutionibus quam lectiſſimis efferendo. Docebit ejuſmodi copiam Aldus Manutius in eo libello, quem Elegantias, ſeu Phraſes Latinæ linguæ inſcripſit; necnon Eraſmus in ſua rerum,

 & ver-

& verborum copia: Nizzolius, Omphalius, &c.

§. II.

De Stilo Oratorio.

PRæter vulgarem ſtilum, & in ſermone familiari, epiſtolis, narrationibus, adhiberi ſolitum, alter eſt Oratorius, & ab uſu communi paulo disjunctior, ad quem convertendus labor erit, poſtquam aliquot menſes fuerint in priore illo & communi ſtilo collocati.

Ut finis oratoris eſt dicendo perſuadere, ſic Oratoris ſtilus aliud nihil eſt, quam dicendi ratio ad perſuadendum appoſita. Perſuademus autem conciliandis animis, movendis affectibus, proponenda ſuaviter aut vehementer veritate, prout auditorum comparata mens eſt. Itaque ſtilus oratorius acer eſt urgendis argumentis, vehemens ciendis affectibus, ſuavis voluntatibus conciliandis: ornatus toto genere, ac jucunda varietate auribus & animis influens. Contra vero hiſtoriæ Scriptoribus oratio eſt tracta & fluens, quæ nihil probando urgeat: philoſophis anguſta & jejuna, quæ incomptam proponat veritatem: Sophiſtis demum & declamatoribus fucata, quæ voluptati ſolum auribuſq; ſerviat.

In oratorio ſtilo ſpectanda ſunt illa duo quæ diximus, ſententia & elocutio. Sententia

tia eſſe debet ejuſmodi quæ auditorem doceat, moveat, conciliet. Quæ docet, eruitur e locis oratoriis; quæ movet, ex affectibus animi; quæ conciliat, ex hominum moribus bene & ex arte tractatis. Locos oratorios explicant Rhetorum libri, & inſtitutiones Tullii, Quintiliani, Cypriani Soarii, Cauſſini, & recentiorum: auctor Palatii eloquentiæ illos fuſius diſtinctiuſque perſequitur. De animi affectibus & moribus eruditè diſputat Ariſtoteles, & præcepta nunquam ſatis legenda tradit.

Elocutio ſive explicatio ſententię oratorię duabus prædita dotibus eſt. Numeroſa ſit oportet, ſive periodica: tum figuris illuminata. Facit periodus, ut ſententia certis partibus a ſe invicem ſuſpenſis numeroſe, breviterque concludatur: Præſtant figuræ, ut oratio vim, dignitatem, amplitudinem, varietatem, admirabilitatem, habeat. In figuris aliæ memoriam auditoris adjuvant, ut diſtributio, ſubjectio, &c. aliæ mentem docendo illuſtrant; aliæ voluntatem permovent: quędam ſenſus ipſos veluti feriunt; verbi gratia hypotypoſis oculos; aures, anaphora, &c. Indicem ſingularum cum exemplis brevibus juvat habere in promptu, quem, pro re nata, conſulas.

Digitized by Google

§. III.

Ratio Stili procudendi.

QUid eſſet ſtilus dixi : ſequitur, ut qua ratione poſſit optimus elaborari, dicam. Lectione, ſcriptione, imitatione, ſtilus omnis effingitur. Legendi Scriptores omnium optimi; ne quis ex auctore deteriori animis rudibus, ut recentibus vaſis, alieni & putidi ſtili odor adhæreſcat: legendi multum, diuque; demum legendi accuratè, penſitando quid dicant, quorſum dicant, quemadmodum dicant. Legendi rationem docet Quintilianus lib. 11. c. 5. eum conſule. Profuerit interdum, ſi quid inter legendum arrideat, illud revoluere ac reguſtare; interdum recitare ſubmiſſa, aut elata etiam voce; memoriæ fideli commendare. Initium legendi ducatur a Cicerone ac primis quidem menſibus voluantur quæ ſunt in eo faciliora, epiſtolę ad familiares, dialogi de amicitia & ſenectute; libri de Oratore, Orator, Tuſculanæ Quæſtiones, Paradoxa: poſtea vero, breviores aliquot ejus orationes. Addi Tullio poterunt, Terentius, expurgatus ille tamen & probe caſtigatus, Phædrus, Horatius in Satyris, & epiſtolis, Cæſar; ſunt enim inſignes illi propter puriſſimum loquendi modum, ac proprietatem ſermonis Latini docent. Ea verò maturè ac diligentèr eſt co-

gno-

gnoſcenda,ut non tantum orationem componere, ſed loqui latinè, et ea quæ uſus quotidianæ vitæ poſtulat, efferre commodè, atque eleganter poſſimus. Nec interdictos velim recentiores nonnullos, ut Manutium, Muretum, Longolium, qui quemadmodum Cicero ſit imitandus, exemplo ſunt. Parcè illi tamen obiterque ſalutandi; in veteribus habitandum.

Lectioni oportet accedat ſcriptio: cæmenta comparantur legendo, eadem componuntur ſcribendo, & conſtruuntur. Quid autem ſcribendum? Epiſtola, ſi lubet, ad amicum: oratiuncula, declamatio: natum aliquid ex loco ipſo, vel tempore, quod feſtivè narrari, & ornatè tractari poſſit. Contexentur hiſtoriæ sacræ vel profanæ, moribus informandis aptæ; arcana quędam ludentis naturę,& alia id genus, quæ pueris deinde tradantur componenda. Sic Magiſter diligens scriptionum optimarum paratam habebit ſegetem,non ſibi tantum ſed ſuis etiam diſcipulis utiliſſimam. In ejuſmodi autem lucubratiunculas illigabit eximia, quæ inter legendum obſervabit verba, Tullianos loquendi modos, ceteraſque latinitatis bonæ delicias, quo quaſi convivio alumnos ſuę diſciplinę lautè ac liberaliter accipiet. Faciendum autem, nulla ut hebdomada, hebdomadam dico? nulla ut dies, ſine aliqua ſcriptione, ac veluti ſine hac linea, nobis abeat.

Digitized by Google

§. IV.

Modus imitandi Auctores .

AD imitationem quod attinet , quæ maxime ſtilum adjuvat , * præſtiterit locum aliquem , Ciceronis exempli cauſa, vertere in ſermonem vernaculum , quem , interpoſito ſpatio , convertas in latinum : mox , quod a te ſcriptum fuerit conferre cum ipſo loco Tulliano , atque ex illo emendare . Sic facillime ſtili tui a Ciceroniano diſcrimen apparebit . Video hanc imitandi rationem pleriſque magnas utilitates attuliſse. Eadem ratio ſervabitur in oratorio ſtilo elimando . Conficies analyſim orationis Ciceronianę, vel partis alicujus illuſtrioris ex ea decerptæ : rationes , figuras , rudi quadam delineatione adumbrabis : hanc materiam poſtea tractabis tuo marte , & oſſeam quaſi compagem carne ſua veſties; poſtremò tuum opus cum Ciceroniano comparabis,& quantum ab eo recedas, intelliges . Sumi poteſt etiam locus aliquis egregius ejusdem Tullii, ac transferri ad aliud argumentum ſimile , vel contrarium : utendo figuris iiſdem , periodis , commiſſuris , tranſitionibus, toto denique ductu orationis ac filo Ciceronem quaſi veſtigiis perſequendo , mutatis tantum verbis ac ſententiis . Ille , verbi gratia , orat. in Piſonem, deſcribit quis ſit populus

* *lege Quintil. lib. X. c. 2.*

pulus Romanus: negat multitudinem hominum ſeditione concitatam populum Romanum appellandam eſſe: ſimiliter oſtendes quis Chriſtianus dicendus ſit, quis nobilis, quis eruditus. Invehitur Philippica II. in Antonium, cui Ciceronis ipſius conſulatus non placeret, qui tamen ſummis viris placuerat: *Non placet Antonio conſulatus meus? At placuit Servilio, &c.* Imitare hunc locum in eos quibus non placent ſtudia litterarum, quæ viris omnium ætatum & Ordinum ſapientiſſimis placuerunt. Atque hunc in modum, ut hoc obiter moneam, conformanda maximè ſunt argumenta ſcribendi, quæ rhetoricæ diſcipulis traduntur: hoc enim cum facile magiſtro, tum adoleſcentibus perutile eſt. Quod ſi exempla Ciceronis traducas ad pium aliquod argumentum, quale inſtituendis juvenum moribus, & alendæ pietati ſit idoneum, habebis orationum sacrarum ſuppellectilem, quibus eoſdem in ſuperioribus Scholis latine cohorteris.

Ad Virgilianum, & Horatianum ſtilum combibendum, eadem utêris methodo, cum tempus aderit. Virgilium attente perleges: verſuum vincula, tranſitiones, ſcribendi formam obſervabis: locos ejuſdem aliquos, narrationes, comparationes, imitaberis in ſimili vel diverſa materia: quoſdam vernacule converſos, numeris tuis & verſibus efferes, quos oppones Virgilianis. Ita ſupplebis ac

pen-

penſabis doctoris vicem, ſi deſit fortaſſe qui te, viva voce, coram emendet ac erudiat.

§. V.

Auctores optimi linguæ latinæ.

PRimas in illis jure ſemper tulit M. T. CICERO, de quo ſatius eſt nihil, quàm pauca, dicere.

C. JULIUS CÆSAR ſeptem libros edidit de bello Gallico, nam octavus eſt A. Hirtii, non tamen indignus illa aurea latini ſermonis ætate. Tres de bello civili. Lucet in ejus oratione concinna munditіes, ſine ſententiarum aut verborum exquiſita gravitate, quam in eo nonnulli deſiderant.

C. SALUSTIUS CRISPUS, Amiterni in Italia anno U. C. *668*. natus, tribunatum plebis gerebat Romæ, quando P. Clodius a Milone occiſus eſt. Scripſiſſe traditur hiſtoriam Romanam ab initio ad ſua uſque tempora: ſuperſunt duntaxat, Bellum Jugurtinum, Catilinarium & quædam fragmenta. Oratio in Ciceronem falſo illi tribuitur, id quod ipſe ſtilus indicat. Eum Tacitus appellat rerum Romanarum Scriptorem florentiſſimum. Sane plenus rerum eſt, verborum dives ac ſententiarum: vocibus tamen obſoletis ac paulo durioribus non caret.

CORNELIUS Nepos vixit ſub Julio Cæ-

ſare

Digitized by Google

ſare & Auguſto. Veronenſem fuiſſe conjectura non levis eſt. Scripſit vitas Romanorũ ducum & externorum: illæ perierunt, ex his reſtant duæ & viginti. Deſiderantur etiam vitæ Grecorum Hiſtoricorum, quas a ſe conſcriptas fuiſſe teſtatur. Æmilius Probus cujus vulgo nomen huic Nepotis libello præfigitur, librarius fuit, qui hoc opus, ſua deſcriptum manu, obtulit Theodoſio, ut præclarè Voſſius oſtendit. Purus nitet in hoc libello ſermonis latini candor, & Auguſti ſæculo digniſſimus.

TITUS LIVIUS, Patavinus, ſub Auguſto & Tiberio floruit. Ediderat centum quadraginta duos libros ab Urbe condita, uſque ad Druſi mortem: Superſunt tantum quinque & triginta. Laudatur in eo, ubertas, amplitudo,& plena majeſtatis,ac roboris eloquentia.

C. VELLEIUS PATERCULUS Tiberio imperante ſcripſit duos variarum hiſtoriarum, ac præſertim Romanæ, libellos, quorum bona pars periit. Elegans & ingenioſus eſt ſtilus, interdum atrox & ſubobſcurus.

VALERIUS MAXIMUS reliquit libros novem dictorum, factorumque memorabiliũ. Tiberii ætate illum vixiſſe probat Voſſius, quamvis ejus dicto, pleriſque in locis barbara, necnon floſculi, ac lepores male conquiſiti, nonnullis perſuaſerint illum deteriori ævo ſcripſiſſe. Poſſunt ex eo peti argumenta poematum, & orationum.

L. AN-

Digitized by Google

L. ANNÆUS SENECA, Phioſophus vulgo dictus, patria Cordubenſis, multa edidit ingeniosè ille quidem & ſplendidè, ſed abrupta oratione & confragoſa; quare legi, niſi jam confirmato ſtilo, non debet. Ejus epiſtolæ plurimum bonæ frugis habent: quaſdam a Chriſtiano ſcriptas putes, tantam rerum humanarum deſpicientiam ſpirant. Suppeditare poſſunt argumenta ſcriptionibus, quæ pueris traduntur componendæ: modo ejus latinitas poliatur. A' Nerone, cujus mores ac ſtudia regebat, mori juſſus eſt.

POMPONIUS MELA, natione Hiſpanus, & Claudii Imperatoris ævo ſuppar, libros de Chorographia, ſeu locorum deſcriptione, vulgavit, brevitate adeo terſa & eleganti, ut inter bonæ latinitatis auctores primarios merito cenſeatur.

L. MODERATUS COLUMELLA iiſdem temporibus floruit, Patria Gaditanus. Scripſit elegantiſſimos libros de re ruſtica.

Q. CURTIUS RUFUS Alexandri Magni res geſtas illuſtravit libris decem, quorum duo primi deſiderantur: ſupplevis eos Freinshemius. Genus dicendi ſectatur maxime purum & latinum, quo uno argumento dicendus eſt ſub Claudio Imperatore potius, quàm ſub Veſpaſiano, vixiſſe.

C. PLINIUS Secundus major, ſive ſenjor, naturalis hiſtoriæ scriptor, Veronenſis fuit, Veſpaſiani & Titi temporibus. Scribendi ratio

Digitized by Google

tio ingenioſa, ſubtilis, erudita: interdum propter brevitatem, copiamque rerum, ſtrictior, & obſcurior. Lucem illi magnam attulit P. Harduinus Societatis JESU.

MARCUS FABIUS QUINTILIANUS, rhetor Hiſpanus, ut plerique exiſtimant, Romæ diu artem dicendi ſumma cum laude docuit. Rhetoricæ pręcepta complexus eſt libris egregiis duodecim. Declamationes, quę illi vulgo tribuuntur, ipſe innuit a ſuis diſcipulis fuiſſe conſcriptas. Sane duriter, & valde diſſimili a ceteris ejus libris ſtilo ſunt elucubratę. De præcipuis Scriptoribus Græcis ac latinis præclarè diſſerit libro X. cap. I.

SEXT. JUL. FRONTINUS ab ævo Quintiliani non multum abeſt. Edidit quatuor libros de Scientia militari ac ſtratagematis, ſive dolo bellico, non inconcinnè.

P. CORNELIUS TACITUS ad Trajani tempora pertinet. Complures hiſtoriarum libros ediderat, è quibus pauci reſtant. Gravis illi ſermo, & auſterus: acutæ, & abſtruſę ſententiæ, itaut meditandus magis, quàm legendus ſit. Quędam habet parum Chriſtianis amica legibus. Latinitas interdum audax & acerba: vivida tamen ut plurimum ac robuſta.

C. PLINIUS CÆLIUS SECUNDUS, Junior vulgo dictus, Novocomenſis, Caii Plinii Senioris e Sorone Nepos, eodem Imperatore Trajano floruit, quem laudavit oratione luculenta. Eidem tribuitur a quibuſdam libel-

lus

lus de viris illuſtribus, ab aliis Cornelio Nepoti, hunc Voſſius Aurelio Victori aſſignat. Extant epiſtolæ Plinii ſcitiſſimæ; jam tamen latini ſermonis nitor obſoleverat.

L. ANNÆUS FLORUS, Hiſpanus, ejuſdem Trajani extremis temporibus vulgavit quatuor hiſtoriæ Romanæ libros. Utitur ſtilo in ſpeciem amæno & florido, at contorto in multis & moleſto. In putanda ratione temporum eſt negligentior.

C. SUETONIUS TRANQUILLUS Hadriano Imperatore ab epiſtolis fuit. Superſunt è multis ejus hiſtoriis vitæ Cæſarum, quorum vitia & dedecora diligẽtius perſequitur, quàm hiſtoricum pudicum & ſapientem decet. Cetera brevis & accuratus, eſt.

MARCUS JUNIANUS JUSTINUS, Trogi Pompeii, qui ſub Auguſto libros quatuor & quadraginta hiſtoriarum ſcripſerat, epitomen confecit, quam Antonino Pio, quo Principe vivebat, dicavit. In rebus Judaicis ac pleriſque aliis hallucinatur, ſive id ejus, ſive Trogi, vitio contigerit.

ARTICULUS III.

DE STUDIO LINGUÆ VERNACULÆ.

QUamvis præcipua magiſtrorum Societatis cura verſari debeat in linguis Latina & Græca penitus cognoſcendis, non eſt negli-

Digitized by Google

gligenda tamen lingua vernacula. Ejus ſtudium in tribus maxime conſiſtit. Primo, ut quoniam auctores latini pueris explicantur et in patrium vertuntur ſermonem, id fiat quam elegantiſſimè. Quamobrem hæc interpretatio ſic a magiſtro elaboretur, ut eam vel ſuo componat marte, vel ſi petat ab auctore aliquo vernaculo, comparet prius latinum ſermonem cum patrio: ſic enim quid utrique linguæ proprium ſit, quæ cujuſque dos, et venus facillime cognoſcet. Eadem in hiſtoricis puerili Scholę prælegendis & interpretandis, ratio teneatur. Secundo, quæ dictabuntur in Schola vernaculè argumenta ſcriptionum, ea ſint ad omnes patrii ſermonis exacta regulas, & ab omni ſermonis vitio repurgata. Tertio, dabitur opera ut in privatis colloquiis et quotidiano congreſſu, ſermo adhibeatur, quam minimè barbarus. Profuerit quæ notata erunt inter legendum, quæ ab aliis obſervata de vitiis virtutibuſque ſermonis, interdum referre et excutere. Illud cavendum in primis juniori magiſtro, ne vernaculis nimium libris indulgeat, præſertim poetis, in quibus maximam temporis ac fortaſſe morum, jacturam faceret. Quare Studiorum ſuorum moderatori, aut Collegii Rectori, aperiat quos ejuſmodi, & quandiu, libros legat, habeatque perſuaſum peccare ſe graviter, ſi captus illicio ſermonis patrii, aut deterritus labore ſtudii moroſioris, tempus a Societate deſtinatum

diffi-

Digitized by Google

difficilioribus ac neceſſariis linguis percipiendis, aliter impendat, quàm eſt noſtris legibus ſanctiſſimè, ac prudentiſſimè conſtitutum.

ARTICULUS IV.

STILI VITIA.

§. I.

De Stilo obſcuro;

UT nihil difficilius eſt quam rectè ſcribere, ſic nihil eſt in quo pluribus peccetur modis. * Illi tamen meo judicio peccant omnium graviſſimè, qui obſcurè, ac perplexè loquuntur, * quos iterum ac tertio legas ante, quam intelligas. Hoc vitium eo difficiliorem habet emendationem, quod illo qui laborant, ipſimet minimè ſibi videantur obſcuri, ſeque, ut aſſerunt, intelligant; id enim credere affirmantibus velim; atqui nobis non loquimur, aut ſcribimus, ſed aliis. Auctor ſum iſtis obſcuris Scriptoribus, ut ſi quid component, oſtendant illud cenſori, etiam non peritiſſimo, cui ſi quid appareat minus perſpicuum, id ſibi omnino mutandum exiſtiment.

Juva-

---

* *Quintil. lib. X. c. 3.*

* *Prima eſt eloquentiæ virtus perſpicuitas. Quinctil. lib. 11. c. 3.*

Digitized by Google

Juvabit materiam latinè ſcriptitandam informare patria lingua, in qua minor eſt obſcuritati locus. Oritur autem obſcuritas interdum è ſententia ipſa, & cogitandi modo, qui eſt in nonnullis implexus, perturbatus, confuſus: huic perturbationi mederi debet ordo, quem Scriptor, velut Ariadneum filum, adhibeat oportet, ut cæca regat veſtigia. Itaque videat quid dicendum ſit, quid primo loco, quid ſecundo, quid tertio. Sententias nudas, & velut incomptas deſcribat, ac ferme in ſyllogiſmum, philoſophico more, componat, quæ ratio eſt omnium certiſſima: tum judicet quid propoſitioni majori conveniat, quid minori, quid concluſioni: adeo ut pars nulla majoris propoſitionis, in minorem temerè incurrat; nulla quæ minori congruat, adſcribatur majori. Plurimum intererit obſervare hunc ordinem in bonis auctoribus. Sic prima pars orationis Milonianæ continetur hoc Syllogiſmo. Milo neque voluntatem habuit inſidiandi Clodio, neque facultatem; ergo inſidiatus non eſt: contra vero maxima Clodio voluntas inſidiarum, & facultas fuit. Non habuit Milo voluntatem ſtruendi inſidias; quia nullas cur inſidiari vellet cauſas habuit; non utilitatem, non odium, non pronam indolem ad vim, non ſpem impunitatis: quæ omnia in Clodio ſumma extiterunt. Non habuit Milo facultatem inſidiandi, quia reſcire non potuit an Clodius iter eſſet ingreſſus nec ne.

2. quia cum eo congreſſus loco iniquiſſimo, et parum ad inſidias apto. 3. quia impeditus erat rheda, muliebri comitatu, &c. Aſſueſce alias ejus orationes in ſua ſic membra digerere: illud a Quintiliano vere ſcriptum fuiſſe deprehendes, faciliora eſſe ad intelligendum, & lucidiora multo, quę a doctiſſimo quoque dicuntur. Idem alio quodam loco * pręcipit curandum oratori eſſe, non ut intelligere poſſit auditor, ſed ne omnino poſſit non intelligere.

Obſcuritas oritur aliquando ex ipſis verbis, & orationis tota quaſi ſtructura; cum uſurpantur verba impropria, ignota, abſtruſa; locutiones incompoſitę ac barbaræ; cum ibi collocatur verbum aut nominis caſus aliquis, ubi jure dubites, quô referatur & pertineat: cum multa congeruntur promiſcuè non neceſſaria; cum abeſt aliquid, quo carere nequit oratio, quin manca ſit, ac mutila.

§. II.

De Stili brevitate nimia, & prolixitate: tumore, & humilitate.

AFfine obſcuritati vitium eſt immodica brevitas, vel prolixitas: è quibus ſi alterutram optare neceſſe ſit, brevior eſſe pro-

fecto

* *lib. 8. c. 2.*

fectò, quàm prolixior, malim. Ut enim docet Tullius, * magis offendit nimium, quàm parum. Nec minus magna virtus eſt, teſte Seneca, * ſcire deſinere, quam ſcire dicere. Indocti, ait Quintilianus, dicunt omnia: doctis eſt electio & modus. Quibus porrò limitibus oratio definiri debeat judicare cujuſvis non eſt, ſed Sapientis. Crebra, & accurata ſcriptione prolixitas emendatur, & illa quaſi foliorum luxuries depaſcitur. Imitandi marmorarii, atque aurifices, qui maſſam rudem, ſcalpro, limaque paulatim attenuant, effingunt, perpoliunt. Brevitatis verò anguſtię laxantur lectione, meditatione, arte. Hinc augeſcit oratio, & ſalubri ſucco paſta, ſanginem ſuum, amplitudinem, ac vires, adipiſcitur.

Tertium Stili vitium, tumor appellatur. Eorum eſt qui ſemper *nubes, & inania captant*; qui humi velut ingredi neſciunt. Illa grandia nomina, epitheta magnifica, ſententias ampullatas, excute & comprime; omnia inani diſtenta vento, ſolidum ferè nihil, deprehendes. Hydrôpis tumor, pars morbi eſt.

Huic vitio reſpondet oppoſitum alterum, humilitas orationis & demiſſio. Sublimitate carminis Heroici aſſurgere animum affirmat Quintilianus; quod ipſum prę̨ſtat majeſtas oratorum, imprimis Demoſthenis ac Tullii. Hos

* *in Oratore.* * *in Controverſ.*

abjecta mens, & humi ſtrata ſi conveniat, ſi ſe illis applicet, erigitur.

§. III.

De Stilo arguto, & abrupto.

ATque iſta quidem Stili vitia, quę hactenus recenſuimus, facile conſtat inter omnes eſſe graviſſima; unum eſt, quod ita multis placet, ut virtutis propè locum ac nomen obtineat: argutias dico, & acumina, quę ſi nimia ſunt, ſi per vim adducta, nihil eſt putidius, nihil moleſtius. Aſpergantur per me licet orationi, ſed ut ſal cibis, qui niſi parca & prudente diſpenſetur manu, ſaporem alienum non addit ferculis, ſed inſitum obtundit. Decipit amatores acuminum, quod ita ſe putent ingenioſè ſcribere: neque id inficior, ſi fiat in loco: ſed vix eſt, ut qui ſtudet acutè omnia dicere, non dicat pleraque frigidè, & quæſitam acumine uno alterove non inepto laureolam ingenii, ſexcentis aliis contortis inficetiſque corrumpat. Jam ut noſcas in quo peccent ejuſmodi argutię, revoca illas ad dialecticam, agnoſces fucum; & quantum, cúrve abhorreant à veritate, & ſani judicii maturitate, ſenties. Laudat exempli cauſa Ludovicum XIII. Regem Franciæ encomiorum & acuminum conſarcinator, quem plerique judicii pravitate mirantur: *Galliæ medicus*,

in-

Digitized by Google

inquit, *Coſmæ, & Damiano medicis feſto die, infecto regno peperit genitus ſpem ſalutis*. Si ad philoſophicam normam hoc elogium exigas, ridebis: Ille medicus Galliæ erit optimus, qui natus eſt die ſacro Divis Coſmæ, & Damiano: Atqui, &c. Quę ſequuntur ſunt ejuſdem notæ. Felix, qui Craſſum à Tullio laudatum imitari poteſt, cujus ſententiæ erant integrę, verę, novę, ſine pigmentis, fucoque puerili. Specioſa id genus pigmenta non pauca reperies in Lucani carmine. *Cælo tegitur qui non habet urnam*. Sic Pompeium inſepultum laudat. Admove amuſſim dialecticam: Ille cenſendus eſt præclarè ſepultus, qui cœlo tegitur: Ergo, &c. Quid ineptius, & a vero disjunctius majori propoſitione? quę ſors alia latronum, & pœna eſt, quàm ut ſub dio putreſcant, triſtis alitum, ac ferarum pręda? quis honos ſepulturę verus, niſi quem pietas parentum, aut amicorum cura tribuit compoſito, quod cineres defendat, ac poſteris mortuum commendet, monumento? Idem impie in ſolenni verſiculo Catonem unum ſuperis omnibus anteponit: *Victrix cauſa Diis placuit, ſed victa Catoni*. & lib. 2. Marium jacentem Diis ignoviſſe ſcribit. Laborat hoc interdum vitio uterque Seneca: laborant multi recentiores, lapſo temporum calamitate, in deteriora ſtilo.

Vitioſum quoque stili genus, nimis abruptũ: pręceps quędam, ut loquitur Tullius, * et celeri-

* *in Bruto*,

leritate cęcata oratio: in qua ſingulę Sententiæ, ſingulis inciſis finiuntur. Id vitium queritur Seneca * natum eſſe ſua tempeſtate, & amputatas ſententias, obſcuramque veritatem, pro cultu habitam eſſe dolet. Sint igitur vinctæ partes orationis (quamquam epiſtolarum alia ſępè ratio & ſtilus eſt) imitentur humani corporis membra, quę ſic diſſimilia ſunt, ut a capite profecta, inter ſe apta ſint, atque arctiſſimè colligata.

ARTICULUS V.

STILI VIRTUTES.

STili vitiis reſpondent oppoſitę virtutes; perſpicuitas, modus, æquabilitas, dignitas, vis, & ſplendor. Modum appello magnitudinem argumento parem, & accommodatam. Sunt enim quę brevius; ſunt quę fuſius, dici poſtulent. Vix placent quę bis, ſine certa cauſa, dicuntur, neque ulla re magis onerantur aures, quam verbis inanibus. Æquabilitatem voco, fuſum æqualiter ſermonem, non depreſſum puerilitèr, non traſonicè inflatum: non carptum, & amputatum; non ſibi diſſimilem, & in uno argumento, quaſi non unum. Dignitas effloreſcit e ſententiarum, ac verborum pondere, & majeſtate: vim

* *Epiſt.* 114.

Digitized by Google

vim gravitas quędam virilis, & nervorum plena conciliat. Pauca de ſtilo ingenioſo, & ſublimi attexam.

§. I.

De Stilo ſubtili, ſplendido, & ingenioſo.

STili ſplendor exiſtit ex ingenii luce, ſubtilitate orationis, ac ſolertia. Docet Ariſtoteles peculiari capite quemadmodum ſententia efferri ſubtiliter, & ingeniosè poſſit: idque vel maxime tum fieri monet, cum rebus, etiam vitę expertibus, actio, motuſque tribuitur: exemplum affert è Poeta ſumptum, qui lapidem a Siſypho ſubvectum in montis cacumen, ac spontè ſua recidentem, vocat *impudentem*; quaſi lapis, ut Siſyphum rideret ac improbo vexaret labore, eriperet ſe ſe ex ejus manibus, ac relaberetur. Mors nemini parcit: trita, & vulgaris eſt ſententia: fiet nova & ingenioſa, ſi cum Horatio dicas; Pallidam Mortem æquali pede pulſare pauperum tabernas, regumque turres. Sic poetę rebus inanimis formas, quę in ſenſum incurrant, tribuunt: ſcelera nobis exhibent impios perſequentia cum tędis ardentibus, Famem, Famam, Peſtilentiam, ut monſtra e Tartareis emerſa ſpecubus producunt. Sic Annibalem licet captum, & ſolum Silius exhibet * cęſo-

* *Silius Italicus lib.* 11.

rum ad Cannas, Trebiam, & lacum Thraſymênum Umbris, tanquam militari ſatellitio, cinctum. Horatius Curas laqueata circumvolantes tecta monſtrat. Eandem orationi gratiam afferunt quęcumque oculos, aures, ac reliquos ſenſus feriunt, ut in deſcriptionibus, quæ rem oculis ſubiiciunt, patet.

Altera dicendi ſubtiliter, & ingeniosè ratio poſita eſt in ſimilitudine, & comparatione; ſive illa ſit aperta & expreſſa, ſive tacita, & adumbrata, quæ propriè methaphora dicitur. Ejus generis hæc ſunt, incendere urbem luctu, inflammari iracundia, ſcribendo conſolari otium ſuum. Item cum dicimus ridere vernam camporum amænitatem, & alia hujuſmodi.

Plurimum etiam ad ſplendorem orationis, & ſubtilitatem conferunt antitheſes, idemque ferè præſtant, quod in Symphonia imæ voces ſummis oppoſitæ, aut in pictis tabulis, umbra luci. Plinius in Paneg. Alii ſe ſatis vixiſſe, te viſo, te recepto; alii nunc magis eſſe vivendum, prędicabant, &c. Seneca de Cæſare: Cęſari multa non licent, quia omnia licent. * Tullius de Craſſo: Ut mihi non erepta L. Craſſo a Diis immortalibus vita, ſed donata mors eſſe videatur.

Neque nihil eſt acuminis in eo quod propter ſpem, & expectationem auditur. Quale eſt illud Plinianum in Panegyrico: *Cum jam pri-*

* *Conſol. ad Polyb.*

pridem novitas adulatione conſumpta ſit, non alius erga te novus honor ſupereſt, quam ſi aliquando de te tacère audeamus. Item illud Senecæum: ubi Medeam neſcio quis, ut ab audaci facinore deterreat, monet omni eſſe deſtitutam auxilio, nullam in Jáſone perfido ſpem, nihil opis ab ulla, quocumque ſe vertat, parte ſupereſſe. Reſpondet illa. *Medea ſupereſt.* Simile eſt illum Ciceronianum, de Cęſare; *Nihil obliviſci ſoles, niſi injurias.* * Item illud Taciti de Galba: * *Major privato viſus, dum privatus fuit, & omnium conſenſu capax imperii, niſi imperaſſet.* Et ejuſdem Scriptoris de morte Germanici: *Periiſſe Germanicum nulli jactantiùs mœrent, quàm qui maximè lætantur.*

§. II.

De Stilo ſublimi.

SI roges unde oritur ſtili ſublimitas, reſpondebo illam è rerum quæ dicuntur magnitudine, & dignitate naſci, modo id argumenti conditio ferat: hac enim regula metiri ſtilum ſemper decet. Quænam porrò ſunt res illæ magnæ? primum, quæ Deum ac Divina ſpectant. Sententiam hanc, Præclarum eſt inimicis veniam dare, ſic effert nonnemo è Sanctis Patribus, ut dicat Divinum ultionis genus

* *Orat. pro Ligario.* * *Hiſt. lib. 1.*

genus eſſe, inimicos diligere. Non abludit Tullius, Orat. pro Ligario: Homines ad Deum nulla re propius accedunt, inquit, quam ſalute hominibus danda. Magna ſunt hæc, quia petuntur a rebus moribuſque Divinis: Magnę cenſentur etiam virtutes quædam, ac dotes humanę, ut liberalitas, clementia, fortitudo, ingenium, eruditio, imperia, triumphi. Magna demum ſunt, quæcumque magnam utilitatem, aut perſpicuam neceſſitatem habent: ut, vita, libertas, opes, amici, fama, &c. Quid ſublimius ea laude, qua Cęſarem * ornat Cicero? Nihil habet nec fortuna tua majus, quàm ut poſſis; nec natura tua melius, quàm ut velis ſervare quamplurimos. Aut ea qua Ciceronem ipſum Paterculus, & Seneca tollunt: Vir ingenio maximus, qui effecit, ne, quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur. * Quid excelſius fortitudine Catonis expreſſa Horatiano ſtilo, cum ita canit? Et cuncta terrarum ſubacta pręter atrocem animum Catonis. Pompejus Tigranem domitum reſtituit in regnum, ait Valerius Maximus, * æque pulcrum eſſe judicans & vincere reges, & facere. Longinus homo ethnicus, miratur & merito vocem hanc è ſacro ſumptam codice, *Fiat lux, & facta eſt lux*. Tantam hæc verba quamvis ſimpliciſſima, potentiæ Divinę vim demon-

* *Orat. pro Lig.* * *Velleius lib. 2.*
* *lib. 5. c. 1.*

demonſtrant! Quid, è regio ſumptum illud Vate, quàm ſublime eſt! *Mare vidit, & fugit.* aut illud de Alexandro in Machabæorum libris: *Siluit terra in conſpectu ejus.* aut hemiſtichium Virgilianum, *Et campos ubi Throja fuit.* Nempè acrius, & vehementius ferit, ut rectè monet Demetrius, quod paucis verbis multa, & magna ſignificat. Imo quædam juvat, * relinquere auditori, quæ ſuo marte colligat, ne ſi omnia quaſi manſa illi apponamus, ejus ingenio diffidere videamur. Plurima ejuſmodi obſervabis in Tacito: Ituri in aciem, ait Galgacus, * & majores, & poſteros cogitate. Et apud Livium Dux * milites triplici verbo, quaſi ſtimulis totidem, fodit: Hoſtem, an me, an vos, ignoratis? Magna fortuna, inquit Seneca, magna ſervitus eſt. Apparet illud etiam in iſtis exemplis, partem dignitatis non minimam eſſe in ipſo dicendi modo, in quo ineſt aliqua ſæpè oppoſitio, metaphora, proſopopœia, unde orationi lux, ut paulo ante diximus, & ſplendor additur. Longinum Conſule in opuſculo quod inſcripſit De ſublimi genere dicendi. Item Gallicum, ſi eſt in promptu, libellum, cui titulus, *La maniere de bien Penſer.* *

Non deerant plura de Stilo, quæ dicerem: sed ſatis eſſe duxi prima leviter preſſiſſe veſtigia, quæ diligens magiſter perſecutus, ſine admi-

---

* *Demet. Phalereus de elocutione.* * *in vita Agric.*
* *lib. vj.* * *editum anno 1687. Pariſiis.*

adminiculo progredi poſſit. Si quis plura quærat, habet Quintilianum, libro præſertim 12. cap. 10. Cauſſinum in ſuis Divinæ & humanæ eloquentiæ Parallelis, lib. 11. ubi de ſtilo, ejuſque diverſis formis, copiosè diſputat. Quoniam autem eſt quædam virtutum, vitiorumque vicinia, & in vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte; illud etiam atque etiam hortor, & moneo, ut Scriptor optimus ſtatim legatur, ne prava pro rectis, falſa pro veris, mirari aſſueſcamus. Ornatus, quicumque adhibebitur, virilis, fortis, & ſanctus ſit:* nec effæminatam levitatem, aut fuco eminentem colorem amet: ſanguine & viribus niteat. Neque illos audiamus, quibus ſordent omnia, quæ natura dictavit, qui non ornamenta quærunt, ſed lenocinia: * qui præcipitia pro ſublimibus habent, & ſpecie libertatis inſaniunt.

CA-

* *Quintil. lib. 8. c. 3.*
* *Idem, proem. lib. 8.*

CAPUT II.

DE SCIENTIARUM PERCEPTIONE.

NOn tantum continetur eruditio Magiſtri religioſi peritia linguarum, de quibus dictum hactenus: oportet aſſurgat altius, ad intelligentiam aliquot Scientiarum, quæ tradi adoleſcentibus vulgo ſolent. Ejuſmodi ſunt Rhetorica, Poëtica, Hiſtoria, Chronologia, Geographia, & Philológia, ſeu Polymathía, quæ non tam una quædam eſt Scientia, quàm variarum comprehenſio, quas eruditus quiſque ſaltem primoribus, ut ajunt, deguſtaſſe labris debet.

ARTICULUS I.

DE RHETORICA.

PLurimum ſtudii, & operæ ponendum in Rhetorica, ſive Eloquentia, cujus utilitas & vis tam latè patet. Itaque Magiſter præcepta dicendi curet maturè cognoſcere: in promptu ſunt fontes unde hauriantur: Epitome P. Cypriani Soarii, libellus P. Martini Ducygne, Palatium Eloquentiæ, * Ariſtotelis

* *Videl. Poſſevini Biblioth. Parte ij. ſub finem capitis xviij.*

lis Rhetorica, Demum Quintiliani Inſtitutiones, quem ad præcepta quod attinet, Ciceroni merito quidam anteponunt. Poſtquam iſtæ dicendi regulæ cognitæ fuerint, obſervetur earum uſus in Tullio, Demoſthene, Chryſoſtomo, &c. quibus accurate verſandis tempus ſuum conſtituetur. Tertio, ſcriptione ſtilus acuatur, ad eum modum, quem ante deſcripſimus. Sumatur figura, argumentatio, locus oratorius, è Cicerone, ad cujus exemplum aliquid in ſimili, aut diverſo argumento procudatur. Quod ſi oratio fuerit elaboranda, ejus aliqua pars componetur, ac ſtatim moderatori ſtudiorum exhibebitur, ut quod ille corrigendum judicaverit, refingatur.

§. I.

De ſcribenda Oratione.

ATque ut de oratione conſcribenda, ſiquidem huc incidit ſermo, dicam: Orator appellatur qui appoſitè ad perſuadendum dicit, * itaque oratio definiri poteſt Opus Oratoris, quo perſuadere aliquid nititur. Porro perſuadere eſt aliquem ſic afficere dicendo, ut efficere quidpiam velit ac prorſus in animum inducat, non tam quia id judicet ve-

* *Vide Quintilian. lib.* II. *cap.* 10. *ubi de rhetorica diſſerit, & lib.* III. *c.* 3.

Digitized by Google

verum, quam quia ſibi eſſe bonum exiſtimet. Hinc perſuadendi vis & ratio minus in colluſtrandis mentibus, quam in moribus tractandis, & movendis voluntatibus, conſiſtit: in eoque præcipuum rhetoricæ diſcrimen eſt à cæteris, quæ in vero probando, proponendoque verſantur, diſciplinis, qnòd iſtæ meram ſpectent veritatem, neque admodum, quis ille ſit cui proponitur verum, aut quo pacto ſit comparatus, laborent: Rhetorica illum in primis cui verum, aut veriſimile proponitur, attendat. Eam ob rem ſententiis & propoſitionibus ſingularibus, ac propriis, quæ magis auditorem ſpectant, & movent, utitur libentius, quam generalibus, & communibus: unde Ariſtoteles ait rhetoris propriam argumentationem eſſe Enthymema, quod ſcilicet omiſſa majori propoſitione Syllogiſmi, aut leviter delibata, minorem duntaxat & concluſionem urget. Ex his apparet Rhetoricam non incommodè poſse definiri Artem tractandæ dicendo, voluntatis.

Primus orationis componendæ labor eſt in invenienda propoſitione, & partitione: hinc enim cætera ducuntur.

§. II.

§. II.

De Orationis propoſitione.

SIt propoſitio una, & non multiplex: quia ex ejus unitate pendet unitas orationis. Eſt autem una propoſitio, quæ ſimplici ſententia conſtat: verbi gratia, bellum eſt gerendum: Plurimum affert Urbibus ornamenti tractatio litterarum; Talis eſt Civitas, qualis eſt juventutis inſtitutio; Profani auctores quomodo in Scholis Chriſtianis prælegendi; Paucos præſtat libros legere quam multos; et alia id genus. Hinc intelliges problema, ſive quęſtionem, quæ diſputatur in utramque partem, uni orationi minus aptam eſſe: efficit enim geminam propoſitionem: exempli cauſa, Utrum arma togæ cedant, an armis toga. Si primum de toga, tum de armis dicas, erit duplex oratio.

Propoſitio debet habere aliquid gratiæ, novitatis, utilitatis, contentionis, & controverſiæ. Nam ſi argumentis ut probetur, non eget, ſed nuda expoſitione, aut exornatione rerum, vix differet ab hiſtorica narratione: nec habet ille propriè orationem, qui profitetur id ſe ſuſcipere v.g. ut mores aulicorum, aut avaritię ſordes deſcribat, aut aliquid ejuſmodi, quod ſit explicationis alicujus, nullius contentionis. Id patet ex allata Orationis definitione. Conveniat etiam oportet propo-

ſitio

Digitized by Google

ætati, conditioni, moribus, oratoris: ſit eadem auditoribus, tempori, & loco, accommodata.

§. III.

De Orationis diviſione.

PRopoſitio certas in partes plerumque dividenda eſt, tum quia partitio lucem affert orationi & ordinem; tum quia memoriam dicentis pariter & audientis adjuvat. Sunt autem hæ diviſionis leges. Ut fiat in partes quæ totum, quod dividitur, omnino complectantur, & adęquent. Ut illæ non ſint nimis multæ: tres vulgo; ad ſummum quatuor: Ut eædem ſint invicem diſtinctę & oppoſitæ, nec una includat alteram. Ut clarę ſint & obvię, non petitæ longius aut reconditæ; non contortæ, & ad oſtentationem ingenii potius, quàm ad diſtinctionem argumenti comparatæ: Ut ſingulæ demum partes eodem ordine tractentur, quo ſunt propoſitæ.

Diviſio repeti poteſt à multis capitibus. I. à caſu & fortuito quarumdam rerum in eandem cauſam concurſu: ita Cicero dicturus pro M. Marcello, laudat primo Cæſaris clementiam: deinde ſuſpiciones ejuſdem, Marcello iniquas, evellere conatur. Hæc enim duo admodum erant, quæ illa cauſa poſtulabat: ita ut alterum, dempto altero, mancum

foret. Similiter in ſecunda Philippica profitetur pauca pro ſe dicturum, multa contra Antonium: ac priori parte diluit nonnulla, quæ Antonius in ſe reprehenderat: poſteriori vitam Antonii, à pueritia exorſus, deſcribit. Sic Demoſthenes prima Philippica oſtendit bellum ſtrenuè ſuſcipiendum: deinde, quomodo geri commodè poſſit, docet. II. Ducitur diviſio interdum ab oratione ipſius adverſarii. Ita Cicero pro Muræna: *Intelligo, judices, tres totius accuſationis fuiſſe partes, & earum unam in reprehenſione vitæ; alteram in contentione dignitatis; tertiam in criminibus ambitus eſſe verſatam*. III. à partitione rei propoſitæ, quæ, ut genus in ſpecies, vel tamquam totum in ſuas partes, diſtribuitur. Probat Cicero præditum eſſe bellica virtute Pompejum, atque adeo unum in primis aptum bello Mithridatico abſolvendo, quia ineſt in eo ſcientia rei militaris, fortitudo, auctoritas, felicitas. IV. à variis argumenti dotibus, & affectionibus. Si v.g. Ciceronem deterrere velis ne vitam ab Antonio petat, dices id eſſe inutile, ac turpe Ciceroni. V. à circumſtantiis temporis: à præterito, præſenti, futuro. Sic ages pro mercatore à quo pecunia injuſtè repetitur: Pecuniam I. bonis artibus quæſivit; II. Jure illam retinet. Laudabis hominem, à pueritia bene acta, & ab ætate conſequenti, &c. VI. à variis ejuſdem rei reſpectibus. Ita vituperabis Catonem quod

ſibi

ſibi necem conſciverit, quia fecit injuriam et auctori naturæ, cujus jura violavit; & patrię, cui civem optimum eripuit: & ſibimet ipſi, dum rectè agendi & fortiter patiendi locum perdidit. VII. à cauſis rei: ſic oſtendes indignam eſſe homine Chriſtiano vitam voluptati deditam, quæ neque Deum habere auctorem & approbatorem poſſit, neque ad eum, ut finem, referri. VIII. ab effectuum diviſione. Vitanda eſt gula, quæ corpori & animę exitialis eſt. IX. Ex ipſius primarii Syllogiſmi propoſitionibus, & præcipua ratione, ac firmamento cauſę. Lubet commendare crebram precationem: hoc uteris argumento, quia ſine precatione perſeverare in gratia Divina nemo poteſt, ac mortem opportunam conſequi. Hoc argumentum diduces in tres propoſitiones, quæ totidem partes orationis efficient. Prima hæc erit. Illud eſt crebro ac diligenter uſurpandum ſine quo nullus poſtremum, ut perſeveret in Divina gratia, auxilium obtinere poteſt: Altera; atqui nemo ſine precatione, &c. Tertia; Ergo in precationem ſedulò incumbendum. X. ab adjunctis perſonarum, loci, modi, &c.

Digitized by Google

§. IV.

De Orationis compoſitione, ac ſtructura.

POſtquam conſtitutę fuerint partes orationis, erunt inveſtigandę probationes quibus ſingulæ confirmentur. Probationes autem vel ſunt in ipſa re quaſi poſitæ, ut illæ quæ ducuntur à definitione, ab enumeratione partium, a cauſis, effectis, genere, ſpecie, adjunctis aliquot: vel ſunt extra rem, ut quæ petuntur ab antecedentibus, conſequentibus, ſimilitudine, comparatione, & auctoritate. Auctoritas porro ſi ſit incerta, & a rumore ſumpta, dicitur Fama; ſi jam olim examinata, Prejudicium; ſi petita ex legibus, decretis, &c. Tabulæ; ſi Sacramento ſancita, Jusjurandum; ſi extorta ſuppliciis, Tormentum; ſi hominis idonei voce, vel ſcripto nixa, teſtimonium.

Præter hæc argumenta communia, ſunt alia quædam propria trium dicendi generum, Demonſtrativi, Judicialis, deliberativi, quæ in Rhetorum libris cognoſcenda ſunt: v. g. in genere deliberativo rationes ducendæ ſunt ab jucundo, utili, honeſto, facili, poſſibili, neceſſario: nullum enim erit in perſuadendo negotium, ſi oſtendas rem fieri poſſe, & quidem facile; nihil eſſe in ea quod cum officio pugnet, multum ab eadem commodi & volu-

ptatis

ptatis colligendum; denique ſumma inſtare, niſi fiat pericula, & exitia.

Hic obiter illud monebo: quicquid ſcribiter ad unum ex illis tribus dicendi generibus eſſe revocandum. Ita fiet nulla ut ſit Sententia, quæ ſex orationibus argumentum non ſubminiſtret: aut enim ſuadebis aliquid, aut diſſuadebis: laudabis aut vituperabis; accuſandi demum vel defendendi partes ſuſcipies. Quæ copia mirificas utilitates habet, præſertim cum dicitur ex tempore. Singulis autem argumentis in uno quoque genere ſupellectilem rationum idoneam adjungere operoſum non erit, ſi quis locos oratorios bene cognitos habuerit.

§. V.

Duæ partes Confirmationis: Fides, et Motus. Quomodo tractandæ.

IN eligendis probationibus, earum habenda ratio præſertim eſt quæ auditorem tangunt, quę illius opinioni, animo, conditioni, ætati, ſunt accommodatæ. Trahimur omnes boni ſpecie, vel falſa, vel vera: ſed aliud aliis bonum eſt, his utile, illis jucundum, nonnullis honeſtum: alia alio tempore juvant, ac placent. Quia porro ducuntur homines rationibus, prout affecti ſunt, pręter probationes quibus intellectus illuſtratur, excitandi.

ſunt etiam,ſi argumentum id ferat, affectus * & voluntas permovenda. Quam in rem perutile fuerit mores hominum et naturam perturbationum animi apprime noſſe. Affectus varii pro diverſo cauſarum genere concitantur: verbi gratia, in ſuaſione ſpes, audacia, deſiderium: in diſſuaſione, timor, fuga, deſperatio: in laudatione, amor, admiratio, ęmulatio, ſive imitandi studium: in vituperatione,odium & ſęvitia; in defenſione,amor & clementia.

Sequitur ut inventas ac diſpoſitas * rationes tractemus. Tractantur illę vel per ratiocinationem, vel per enthymema, et alias,quę notę ſunt rhetoribus,argumẽtationes. Quamlibet igitur rationem informabis in modum enthymematis, vel ſyllogiſmi, & primas ejus quaſi lineas adumbrabis. E' tribus Syllogiſmi propoſitionibus,videbis quęnam indigeat probatione, quęnam omitti poſſit: quęnam fuſiùs, quęnam breviùs tractari debeat: ſunt enim aliquę tam perſpicuę, ut eas qui probare velit,actum agat. Eaſdem propoſitiones quibus figuris illuſtrare deceat proſpice, quis inducendus tabellę rudi verborum, & ſententiarum color.

Ubi omnia conſtituta, & ſuis digeſta locis fuerint, accinges te ad ſcribendum,& oſſeam illam veluti coagmentationem explebis, ac ſua

* *Quintil. lib. 6. c. 2.* * *Quintil. lib. 7. c. 1.*

Digitized by Google

ſua carne veſties: nec monendum puto, ut ordinem illarum propoſitionum conſulto perturbes, nunc initium ducendo à complexione, ſive concluſione; nunc ab aſſumptione (ſic minorem propoſitionem rhetores appellant) nunc à probatione, ſive exornatione, majoris propoſitionis, quod in Tullio quemadmodum fiat obſervare licet. Illud verò hortor etiam atque etiam ac moneo, ut auditoribus ſæpe revoces in memoriam, quod ſine faſtidio tamen fiat, quid agatur, quid probandum ſuſceperis: Ita Cicero, cum pro Milone agit, centies illud, at mira varietate, repetit: *Igitur Milo inſidias Clodio non ſtruxit*. In eoque oratores multi peccant, quos, ſi paulummodo dormîtet auditor, aut aberret, ſi filum orationis amiſerit, conſequi deinde non poteſt, & ubi ſint, quam orationis partem tractent, nuſquam, aut ſero, deprehendit.

Iiſdem argumentis vulgo moventur affectus, quæ ad fidem faciendam uſurpantur, ſed tractandi modus diſpar: ad probandum quippe adhibentur argumenta ſubtilius, & preſſius: ad movendum, copioſiùs, ac vehementiùs. Illic explicantur, diſtenduntur que: hic urgentur, ingeruntur, & inculcantur. Hinc exiſtit illa, in qua dicendi facultas triumphat, amplificatio, quę labantibus animis, tanquam aries muro nutanti, validius incutitur. Amplificationi ſerviunt in primis loci oratorii ab enumeratione partium, adjunctis,

antecedentibus, conſequentibus, & comparatione parium, minorum, aut majorum ducti. Ejus artificium legendo magis, & obſervando, quàm prçcepta excutiendo, intelliges. Vide, cum eloquentem locum legis, audiſve, quid te moveat, quemadmodum moveat, cur moveat: ut ſe inſinuet orator probitatis & benevolentię commendatione; ut reluctantem animum nunc frangat vi, nunc aſtu capiat; ut ſpe, odio, timore, accendat. Nota ſi quid ejuſmodi occurrit; exſcribe, ſi vacat, ſi tanti eſt; & in loco imitare.

§. VI.

Refutatio. Ejus duplex locus.

COnfirmationi, ad quam pertinent, quæ dicta ſunt hactenus, adjungenda eſt refutatio, ſi eſt opus, quam plerique vitiosè omittunt. Ejus munus eſt diluere quę nocere poſſunt cauſę, nobiſque non temere obiici. Sunt autem ea duplicis generis: quędam enim ita cauſę nocent, ut iis occupatus, & præpeditus auditor judexve, amicas, & attentas aures accommodare dicenti nequeat. Talia ſunt nonnulla prçjudicia, & opiniones inſitę, quæ niſi evellantur, ſurdis auribus orationis fragor alliditur. Hęc prçjudicia ſtatim ſunt amovenda, quo artificio uſus in Miloniana Tullius eſt. Alia quædam naſcuntur

ex oratione ipſa, cum aliquid in mentem viri prudentis venire poteſt, quod allatę probationi opponat. Hunc illi ſcrupulum niſi eximis, egrè aſſentietur, tecumque pugnabit, uſque dum telum, quod tacitus coniicit, retundas. Quamobrem rectè, ac prudenter faciunt qui dum prima lineamenta orationis adumbrant, & illos, de quibus dicebam modo, Syllogiſmos informant, ſimul attexunt, more philoſophico, quid obiicere cuilibet propoſitioni non mollis, neque hebes adverſarius poſſet; idque ſedulo ſolvere, ac refutare conantur: ſed arte adhibita; alia enim elevantur joco, alia deprecatione molliuntur, eluduntur prętermiſſione, contentione perrumpuntur, communicatione mitigantur. Plenę ſunt exemplorum Orationes Ciceronianę. Nec deſunt recentiores libri & oratores, à quibus eadem petantur exempla. Habes Edmundi Campiani aureum libellum, & eloquentię maſculę partum: titulus eſt, *Rationes redditæ Accademicis, &c.* Plurimum quoque ingenii, & eloquentię lucet in Quintiliani declamationibus, quamvis id minus appareat propter ſtili ſcabritiem: extant illarum interpretationes non contemnendę. P. Cauſſinus nonnullos SS. Patruum locos dicendi copia inſignes collegit: illigatę in unum volumen ante aliquot annos fuerunt orationes ex optimis hiſtoricis tum Gręcis, tum latinis excerptę, in quibus non modo lepôris mul-

multum reperias. Sed virium etiam & nervorum. Cultus eſt Muretus & elegans; Petavius numeroſus et copioſus; Coſſartius acer & ſublimis; Perpinianus amplus, et eloquens; Neque ſingulis nationibus non ſunt oratores vernaculi, qui eloquentię tum sacrę, tum profanę pręclara monumenta reliquerint.

§. VII.

Quid in oratione conſcribenda peccari vulgò ſoleat.

IN oratione ſcribenda peccari hęc ſolent. Alii cæco velut impetu aggrediuntur ad ſcribendum, quodcumque congruit argumento propoſito, arripiunt, in eoque deſudant, ſępè fruſtra. Facerent multò commodius, ſi materiam ſcribendi probè cognitam digererent in ſuas partes, probationibus inſtruerent, quemadmodum docuimus §. V. ac totius ędificii deſcriptionem primis adumbratam lineamentis ante adornarent, quàm aggrederentur ad edificandum.

Alii verbis abundant, rebus ac ſententiis carent. Niti vulgo debent probationes aliqua ſententia, & effato, unde vis tota ratiocinationis ducitur: illud autem apte inſerere, ac ſępe diſſimulantèr, artis & conſilii eſt. Alii contra toti ſunt in ejuſmodi ſententiis gravibus, & communibus, quæ à Rhetoribus

bus Theſes appellantur; ad hypotheſim, ut eorumdem Rhetorum verbo utar, & cauſam ipſam vix unquam delabuntur, quo nihil eſt mendoſius, præſertim in Oratoribus Sacris; quos interdum videas de moribus, & Chriſtiana diſciplina universè diſſerere, nec ineleganter; captare ſic plauſum ab auditore, non invito, quippe qui ſuas aures mulceri, non pectus mordaci Vero radi, non carpi vitia, non ſe privatim premi, ſentit.

Alii ſiccè, anguſtè, & exiliter ſcribunt. Audendum aliquando, nec ſemper legendum littus, procellæ metu. Succus, vigor, dignitas orationi concilianda, tum rerum copia, & erudita ſupellectile, quæ colligi undecumque debet, tum varietate figurarum, & ſplendore. Ciceronem vide, ut rem eandem multis verſat modis atque illuſtrat; nunc interrogando urget, nunc quaſi adverſario interroganti reſpondet: aliàs addubitat quid e multis unum, aut quo pacto dicat; Sæpè cum iis qui audiunt, ſæpe cum adverſariis, aliquando ſecum ipſe, deliberat: hominum ſermones, conſilia, mores, ora, pingit: inducit perſonas fictas, exclamat, jocatur, iraſcitur, deprecatur.

Alii dum ſplendidè, ingeniosè, prodigialiter, omnia dicere geſtiunt, ludos de ſe auditori non inepto dant. Quid ex illis montibus naſcitur denique? ridiculus mus. Tanti eſt ſcire quatenus.

Qui-

Quidam agunt omnia duriter, & acerbe, ſeque tum pulcros ac beatos putant, cum adverſarium male verbis acceperunt: nihil indignius homine liberaliter inſtituto. Iis annumerandi ſunt concionatores, qui operę pretium ingens factum arbitrantur, cum ſcelera & ſceleratos diris omnibus devoverunt, cum in infanda capita congeſſere quicquid fellis, & acerbitatis vel indoles, vel artificium maledicendi ſuggeſſit. Nę illi longè errant. Minis, vociferatione, jactatione iſta, parum proficitur: benevolentia & amore ducendi ſunt homines, ac ſi quid increpas, minaris, objurgas, intelligant oportet id ex amore proficiſci; niſi hoc fit, averſantur, & aufugiunt. In eo mirus eſt Demoſthenes: vix unquàm ſocordiam Athenienſium accuſat, quod minime molliter facit, quin illos velut excuſet, illis blandiatur; ſpei metum; objurgationem deprecationi, atque adhortationi, intexat, ac remiſceat.

Maximum quoque in sacris oratoribus vitium eſt, cum in motibus, affectibusque concitandis parci, & jejuni ſunt. dicunt acutè, ſubtiliter diſſerunt, ornatè, ac eleganter loquuntur: plaudit auditor ac miratur; ſed, quod Auguſtinus rectè arguit, *non convertitur*; hæret in cæno vitiorum; idem qui venerat, abit. Hujus mali labes ea eſt, uti dixi, quod voluntas non concutitur; quod metu, odio, amore non percellitur. In eo tamen Eloquen-

tia

Digitized by Google

tia triumphare debet: alibi pugnat, hic vincit.

Denique videre eſt qui vaſtè, ruſticè, inficete, pronuncient. Dapes vel optimæ, ſi ſqualida in menſa, & patinis olentibus apponantur, ſordent. illos emendare Declamatio, de qua ſubiiciam pauca, debet.

§. VIII.

Quid ſit Declamatio. Ejus leges.

APud antiquos declamatio dicebatur umbratilis quædam exercitatio, qua dicendi artem intra parietes condiſcebant; ut gladiatores in ludo dimicabant rudibus, antequàm in arenam deſcenderent: nunc Declamationem appellamus opus litterarium, quod ſtudioſis adoleſcentibus, præſertim ad geſtum & vocem ex arte moderandam, traditur, & è ſuggeſtu aliquo, vel theatridio, ſine ullo apparatu ſcenico, recitatur: *Recitamentum* Itali vocant. Tale eſt poemation, Oratiuncula, Elegia, vel idillium, fabula quæpiam dramatica, & alia id genus.

Primum illud universè præcipiendum videtur, ut illæ declamationes, quæ ſingulis ferè Sabbathis, una Schola, ut regulæ noſtrę monent, alteram invitante, fiunt, non ſint prolixæ: dimidia vulgo ipſis hora tribuitur: majores quædam, ſingulis menſibus haberi

ſoli-

Digitized by Google

ſolitæ, horam ſibi vindicant. 2. Si dandus aliquis hilaritati locus, nihil dicatur ſcurrile, nihil è trivio ſumptum: non eorum notentur facta vel mores, quibus honorem haberi decet: non atro carmine deſcribantur qui audiunt, ſpectantve; nihil in ſenectutem, in artes quaſdam & inſtituta vivendi, jactetur liberius: ex iis permagnæ ſæpe offenſiones oriuntur. Quæratur ejuſmodi argumentum in quo ſit latinitati, ingenio, eloquentiæ, locus; quod vel totum, vel partim elaborari poſſit ab adoleſcentibus, ut noſtris itidem regulis præſcribitur; quod ab iiſdem cum gravitate, ac dignitate pronuncietur: hoc enim præcipuè in illis exercitationibus quæritur. nec pigebit eo loco nonnihil de pronunciandi, ſive ut loquuntur, declamandi arte obſervare. *

§. IX.

Ratio pronunciandi, ſive ars vocis, & geſtus.

HUjus artis duplex labor, in voce & geſtu. Vox, ne ſit demiſſior, ut ad aures, etiam longiuſcule disjunctas, nequeat aſpirare: abſit ab eadem unus quidam tenor, quam μονοτονίαν vocant; modo attollatur, modo deprimatur; modo concitatior ſit, modo ſeda-

* *Vide Quintil. lib. xi. c. 3.*

datior; imitanda natura, quæ aliam vocem tribuit irato homini, aliam ſupplicanti, aliam narranti: mœſto, hilari, juveni pariter ac ſeni, aliam. Cavendum ne pueri vocem abrumpant ibi, ubi non decet: ne continenti ſpiritu pronuncient nimis multa; ſed clauſulas, & interpuncta ſermonis accuratè ſervent: nec virgulas temerè tranſiliant, quę tanquam repagula, orationi obiiciuntur, ut curſum paulisper inhibeat: majores verò interſectiones, quæ puncta nominantur, ſunt metarum inſtar: ibi hærendum diutiùs, & anima ducenda. Mendosè illud fit a nonnullis, dum carmina hexametra recitant, ut totidem verſibus impetum vocis, modumque definiant; aut, in pentametris, hæreant ante diſsyllabam dictionem, qua vulgo ejuſmodi verſiculi clauduntur. Lex ea teneri debet, ut eo uſque vox procurrat, dum ſententia ſit abſoluta, niſi forte protrahatur verborum complexio tam longa, ut uno ſpiritu volui non poſſit: tunc enim modice licebit in medio conſiſtere. Nec illud vitioſum non erit, si abſoluta qualibet ſententia vox deprimatur plus juſto, vel ſimili ſemper tono attollatur, demittaturve. Magna eſt in hoc genere gratia varietatis, nec ulla re moleſtius afficiuntur aures, quàm ſimilitudine, quod in nervorum concentibus, & diſcordi concordia perſpi-

* *Lege Quintil. lib. 1. cap. viij. & cap. xi. lib. 11. cap. x.*

ſpicitur. Cautio in primis adhibenda & ſollicitudo, ut extremæ vocum particulæ diſtinctè efferantur; ſolent enim intercidere, cum gravi ſententiæ detrimento. Nam quòd naſo quidam plus loquantur, quàm ore; quod blęſo trunca & hiulca verba ſupplantent palato; cùm naturæ vitia plerumque ſint, emendari utcumque poſſunt, tolli omninò vix poſſunt.

Jam in exercendis ad declamandum adoleſcentibus, juvabit illis voce demiſſa quaſi familiariter explicare quod recitaturi ſunt: prima quippè cura in eo ponenda, ut probe intelligant quodcumque ſunt recitaturi: eamque ob rem inutile non fuerit jubere, ut in patrium ſermonem illud ipſi convertant: imò ut vernaculè pauliſper declamitent, quaſi agerent cum ſocio, vel cum perſona nota: ſic enim facile percipiunt, quo tono vocis utendum, quo geſtu. ubi ſententiam vocibus ſubjectam habuerint exploratam, & actionem quaſi primis informatam lineis, licebit vocem attollant, & majores induant, ſi res poſcat, ſpiritus. advocandi etiam erunt amici, affines, ignoti, qui privatim dicentes ante audiant, quàm in ſuggeſtum producantur, præſertim ſi ſunt in declamando rudes: ſic enim confirmantur, & alieni cujuſpiam voce monitiſque plus interdum moventur, quam præceptoris, cui aſſueverunt. Videndum quoque, dum plures declamant, ut ſilentii, & modeſtiæ ratio habeatur, neque tempus ferian-

riando, curſitando, expectandove, male perdant. *

Ut in voce, ſic in geſtu formando certæ ſunt leges, certi fines. Habitus corporis ac ſtatus, firmus, ſtabilis, & rectus, eſſe debet. Caput ne obſtipum ſit, vel in anteriorem projectum partem: ne temere jactetur: aut ſubrigatur. Manus modicè à pectore proiiciantur; ne vulgo attollantur ita, ut humeros excedant; ne hinc inde, veluti mancæ, pendeant; ne anſatis ambæ lateribus arcuatim innitantur: ne in pugnum facile colligantur. Digitus, quem indicem vocant, ſublatus & vibratus identidem, reliquis intra manum preſſis, vix dignitatem habet: annularis & medius decenter junguntur, aliis paulum diductis. Vola plana vulgo ſit. tota manus circa carpum, ut cubitus circa latera, honeſtè circumagatur. Turpe eſt ingredi liberius, aut pedes motare, cum aliquem alloqueris, niſi si id fiat contemptus significandi cauſa. Ne sint nimis disjuncti pedes, ne valgorum ritu, aut varorum intorti: ne ſpatio ſemper æquali inter ſe diſtent. Docebunt hæc pueros Magiſtri ſaltandi, quos ab illis in arte ſua conſuli, & audiri par eſt: aſpectus ipſe hominis non impoliti, nec inurbani, si quid mendoſum eſt, facile animadvertet. In gravioribus

* *Magna cura caveat, ne diſcipuli, dum ſe ad hujuſmodi res comparant, morum faciant, ſtudiorumve jacturam.* Ratio studiorum, reg. 14. Rect.

animi perturbationibus exprimendis abire paulisper ab iſtis legibus nefas non eſt, modo tamen decórum ubique teneatur.

§. X.

Unde peti declamationum argumenta poſſint.

ROget hic aliquis fortaſſe, quęnam eruditis declamationibus argumenta præ cæteris idonea ſint. Illud vero nulla definiri lege poteſt. Exempla ſuppetunt in Quintiliani declamationibus, in Senecæ controverſiis, in Proluſionibus P. Famiani Stradæ. Peti commode poteſt argumentum è Sacra Hiſtoria, vel profana: ut illud, quod narrat Q. Curtius de Abdolomino, quem ex olitore fecit regem Alexander Magnus: item, quod refert hiſtoria Japonica * de tribus liberis, qui cum parentem ſenem & mendicum alere non poſſent, inter ſe convenerunt, ut eorum unus, ducta ſorte, raperetur à fratribus ad prætorem urbanum, tanquam latro & Sicarius in flagitio deprehenſus. Lex ea porro apud Japones erat, ut qui furem judici ſiſteret, certa pecuniæ ſumma donaretur. Fraternæ lacrymæ, & amor tegi neſcius, fraudis ſuſpicionem prætori fecerunt; qui, re cognita, laudavit pietatem liberorum, parentis egeſtatem ſublevavit. Non eſt illepidum quod de

* *anno* 1604.

de ſene legitur. is ætate ac morbis fractus fortunas liberis diviſit; ab iis deſpici ſtatim cæpit, a quibus antea colebatur. agnovit errorem; mutuos ab amico nummos petit; quorum odore allecti liberi, cæperunt obſervare patrem, ut prius, nummorum ſpe, quam ille, jam catus, alebat. Moritur, defletur, magnificè ſepelitur. Peractis exequiis, curſitant in paternam domum liberi, ut arcam bene obſeratam, & nummis, ut rebantur, utque senex innuerat, gravem, inter ſe dividerent: ea reſerata, lapides inventi ſunt, cum hoc elogio: *Parentibus incautis, ingratis filiis.* Quid vetat immodici ludi pericula, nimiam in adoleſcentibus elegantiæ cultuſque curam, garrulitatem, * & inertiam; quotidiani & familiaris ſermonis vitia, ut taciturnitatem, dicacitatem, oſtentationem, &c. appoſitis rite perſonis deſcribere, ac reprehendere? Inducere perſonas è variis nationibus ſumptas, v. g. Italum, Germanum, Hiſpanum, Gallum, Indum, &c. qui de ſua quiſque gente narrent res varias ad hiſtoriam pertinentes, Geographiam, mores populorum diverſos? Explicare leges conficiendi epigrammatis, eaſque adjunctis exemplis illuſtrare? modum & rationem conſcribendarum epiſtolarum tradere? commemorave varia ludorum genera, tum recentium, tum antiquo-

* *Vide Plutarcham in Moralibus Opuſculis: Petrarcham, de remediis utriuſque fortunæ: Theophraſt. charactères.*

rum: illorum originem a ratione aliqua, fabuláve repetere. condere criticen & Satyram in quædam vitia, prudenter illud tamen & ſanctè? Laudare dicta ſapientum; veterum acroamata, in unum aliquem finem ſpectantia, ingenioſè texere: deſcribere artis, aut naturæ opera quædam inſignia: componere poetam cum oratore; militem cum cauſidico, diſputantes, quærentes quænam ars alteri præſtet; pygmæum cum aliquo procero adoleſcente, de ſtaturæ utriuſque commodis, incommodiſque certantem? Heraclîtum cum Democrito in philoſophorum conſeſsu jurgantem; ubi agitabitur illa quæſtio, num ridere ſit ſatiùs, quàm flere? deliberantem Ptolomæum, an Pompejnm Cæſari dedat: Auguſtum, an deponat principatum; an ignoſcere debeat Cinnæ? Herodem filios accuſantem coram Cæſare? Inſtituere vatum certamen, quorum unus tragædiam laudet, eamque poematis omnibus anteponat: alter comædiam; tertius epopoeiam, &c. atque inde captare occaſionem docendi multa, & eruditè de ſingulis diſſerendi? Quam belle producetur Hercules in famoſo illo bivio hęrens, invitantibus ad ſeſe hinc Virtute, inde Voluptate? aut, ſi muliebres illæ perſonæ non placent, Geniis, amiciſve, illas exhibentibus? Auguſtinus receptum ad meliorem frugem meditans? Benjaminus accuſatus furti coram Pharaone: duo illi pueruli, Juſtus & Pa-

Paſtor, niſi me fallit nominum memoria, qui è Schola ludoque puerili ad martyrium prodierunt? Nam in his quoque Declamationibus pietati locus eſſe poteſt. Prodigus filius receptus à parente? Rex perduellem ſubditum cum liberis capite damnans, cujus tamen loco ipſe regis filium mortem obeat clam patre, ipſique neceſſitatem afferat ignoſcendi reo? quam Allegoriam ſcitè Bernardus exponit, & ad Chriſtum debitas nobis pœnas expendentem transfert. Licebit luctuoſam Antiochi, vel ſcelerati cujuſpiam necem deſcribere, pertinaciam Pharaonis, Nabuchodonoſoris ſuperbiam. Hæc magna ſunt, & felicem, ubi excurrat ingenium, & eloquentia, campum aperiunt. Solebant Lacedæmonii liberos propoſitis exemplis erudire, & idcircò prodire cum illis in forum, ubi è variis quæ occurrebant rebus, captabant occaſionem pueros inſtituendi v. g. deterrendi ab ebrietate, ex ebrii aſpectu; ab ira, e furentis impotentia: belle mos idem in ſcenam referetur, & utiliter. Certant inter ſe docti quoſnam e Scriptoribus facere pluris deceat, priſcos an recentes: Antiquitatis cauſam defendent aliqui: alii contra novitatis. Nonnulli narrabunt hiſtorias è profanis ſelectas auctoribus, quæ admirabilitatis aliquid habeant; aut ex auctoribus ſacris, ut à Sanctis edita miracula. Conveniunt etiam declamationibus carmina Paſtoritia, Metamorphoſes,

deſcriptiones locorum ; ut ſi quis Fortunæ domum, palatium Eloquentiæ, Temporis, Famæ, depingat. Denique quot orationum & carminum ſunt argumenta, totidem ſunt declamationum: hoc diſcrimen intercedit unum, quod in declamatione tractari poſſunt illa feſtivius, & aliquando diviſis inter actores partibus, velut oculis ſubiici. curandum autem in primis, ut ea maximè ſumantur ad exercendos pueros argumenta, quorum ſit aliquis in vita uſus, non quemadmodum veteres factitabant, ut merito Quintilianus queritur, inania quædam, & nullius frugis.

ARTICULUS II.

DE POETICA.

§. I.

Quid ſit Poëſis.

POeſis definiri poteſt: Ars liberalis quæ hominum actiones imitatur, ut moribus proſit. Diſcrepat a Rhetorica in eo maxime, quod ratione diverſa utatur ad perſuadendum; nempe propoſitis exemplis & actionibus, aut honeſtis quas ſequamur; aut pravis, quas fugiamus: nec tantum demittat orationem in aures, verum etiam oculis quodammodo ſubiiciat: denique delectationi plus indul-

Digitized by Google

indulget, quam rhetorica, & prodeſſe delectando nititur. Hiſtoriæ vero diſſimilis in eo eſt, quòd Hiſtoria veritatem ita complectatur, ut ab ea nequeat ſine flagitio diſcedere: Poeſis non tam quid verum ſit, quam quid simile vero, ſpectet. non quærit quid geſtum fuerit, ſed quid fieri maxime vel debuerit, vel potuerit: non hauſtas ab Hiſtoria pingit actiones; eas, ut ita dicam, facit, sive certis circumſtantiis & adjunctis ornat, ita, ut quasi materiæ ſuæ ſit artifex: unde a faciendo, quod græcis eſt Ποιεῖν, nomen invênit. cum enim perfectiſſima erudiendis moribus proponi debeant exempla, quæ vix, in hac vitæ mortalis conditione, tot nævis inquinatæ, reperiantur; studet Poesis eos removere nævos, & virtutem omni labe purgatam, exhibere.

§. II.

De Poemate Epico.

OPus Poeſeos, Poema dicitur. alterum Epicum vocant; alterum, Dramaticum. Epicum ſola rerum narratione conſtat; Epos enim Græcis eſt ſermo, verſus, narratio: Dramaticum conficitur actione & perſonis in ſcenam inductis: ducto nomine à Greca voce δρᾶν, quæ ſonat *agere, exhibere.*

Poema Epicum definitur: Narratio mera actio-

actionis illuſtris, ornata fictione, & metro. Quod narratio ſit actionis, hoc habet cum historia commune: quod narratio ſit ornata metro & fictione, hoc proprium Poeſeos; quæ aurium & animorum voluptati ſervit, ac præſtantiſſima proponit exempla, & veris ſimillima, ut modo explicabam: quod actio debeat illuſtris eſſe, facit ratio Epici poematis, eſt enim viris principibus erudiendis natum, ac propterea Heroicum vocitatur: in eoque diſcrepat a minoris dignitatis poematibus, ſub eodem carminis Epici genere contentis, de quibus poſtea fiet mentio. Quia mera narratio eſt, diſtinguitur a poemate Dramatico, in quo perſonæ adhibentur & actores. Appellatur ſæpe Epos, quæ vox Græca, ut monui, ſignificat narrationem; item verſum heroicum, ſeu hexametrum, quo fere utuntur poetæ dramatici, ut pleniſſimo dignitatis gravitatiſque. Epopœja interdum dicitur, id eſt, poema ſeu narractio facta verſibus hexametris. Exemplum Epici poematis habes numquam ſatis prædicandum in virgiliana Æneide. Actio primaria ad quam totum poema dirigitur, ut ad metam, eſt Æneę Troja profecti & in Italiam, ſuperûm juſſu, venientis victoria de Rutulorum rege. Ea nimirum parta Italiam obtinet Æneas, cujus poſteri Romam condidere: & a quo duxit ortum Auguſtus Cæſar, cui adulatur Virgilius in hoc toto poemate.

Le-

Leges hujus carminis vulgo iſtę recenſentur. Prima, ut actio aliqua una deligatur inſignior, quę ſuis veſtiatur circumſtantiis, & quasi ſecundariis actionibus. Secunda, nt actiones illę, principi actioni velut ſubſervientes, & cum ea nexæ, quæ vulgo Epiſodia nuncupantur, plurimum habeant verisimilitudinis, ac simul plurimum admirabilitatis. Tertia, ut actio, sic ornata ſuis adjunctis, quæ nimis multa eſſe non debent, conficiatur, aut confici poſſit uno ſaltem anno. Sic Æneas Troja diſcedens appetente hyeme, in Affricam tempeſtate compellitur: ibi commoratus per hyemem, mari ſe committit ineunte vere: Italiam tenet paucis poſt diebus, ac bellum apparat, quod æſtate ſuſceptum, autumno ſeneſcente profligat. Ariſtoteles certum tempus non præſtituit, ſed ab ipſa actionis natura petendum docet. Quarta, ut actioni locus præfiniatur, non nimis vaſtus, v. g. Italię pars & Affricæ vicinum littus.

Porro actionis primariæ cum aliis, illi adjunctis, & famulantibus, coagmentatio & diſpoſitio, fabula vocatur. Hæc ſimplex eſt vel compoſita: ſimplex fabula eſt ea, quæ uno quaſi tenore ab initio ad extremum procurrit: compoſita, quæ varios caſus & peripetias, id eſt mutationes præter expectationem, habet. in utraque fabula ineſſe debet cataſtrophe, hoc eſt, converſio rerum ab uno ſtatu in alium, è læto in triſtem, aut è triſti

in

in lætum & fortunatum. Tranſitus ab uno ſtatu in diverſum, nodus appellatur. Plura vide, in P. Mambruni diſſertatione de Carmine Epico, in Scaligeri Poetica, & aliis qui de hoc argumento ſcripſere.

Ad Epicum poema revocantur varia poematia, quæ iſtius majoris partes, ornamenta, vel additamenta, ſunt: ut Idyllia, Satyræ, Odæ, Eclogæ, Epigrammata, Elegîæ: carmen Euchariſticum, ſeu gratiarum actio pro accepto beneficio: Epinicion, ſeu gratulatio de parta victoria: Iſitirion, quo accedentem aliquem ſalutamus: Propempticon, quo diſcedentem proſequimur; Soteria, quibus receptam valetudinem gratulamur; aut vota quæ pro eadem recipienda facimus; carmen Bucolicum & Georgicum, quo ruſticæ res & perſonæ canuntur, &c. In iis enim omnibus affectus hominum, artes, facta vel ſtudia, deſcribuntur, & laudantur, aut vituperantur. Sunt autem vulgo carmina hæc breviora imitationes locorum, rerum, aut morum. Locorum, ut ſi deſcribatur antrum Famis, Somni domus, inſula Fortunæ, aulę carcer, Mendacii labyrinthus, palatium Eloquentiæ &c. Rerum; ut ſi pingatur venatio, ludus, hiſtoria aliqua vera ſeu ficta, metamorphôſis, &c. Morum: ut ſi fiat Satyra in aliquem; ſi deſcribatur avaritia, garruli moleſta loquacitas, inepti urbanitas faſtidioſa, &c. Quod ſi adjungantur perſonæ &

acto-

actores, pertinebunt ad poema Dramaticum.

§. III.

De Poemate Dramatico.

POema Dramaticum definitur: Imitatio, ſive repræſentatio actionis alicujus, perſonis in ſcenam inductis. In illo reperiuntur eadem ferme quæ ſunt in Epico poemate obſervata: nimirum actio una primaria, Oreſtes, verbi gratia, Clytemneſtram interficit. deinde actionis conformatio & conſtructio, quæ Fabula vocatur. actioni enim primariæ ſubſervient aliæ multæ, quas Epiſodia diximus appellari; quaſi actiones adventitias, hoc enim Græca vox ſonat. exempli cauſa, quod Oreſtes mutato cultu domum paternam ingrediatur, quòd a Sorore Electra, ut ignotus excipiatur, &c. Jam illæ actiones ſecundariæ, cum habent aliquas fortunæ mutationes prȩter expectationem, ita tamen ut heros in iſto fortunæ mutatæ ſtatu non maneat, ſed ulterius provehatur, donec fabula perfecta ſit, vocantur peripetîæ. Exitus fabulæ, ſeu cataſtrophe, tunc plurimum habet delectationis, cum agnitio intercedit. Sic Oreſtes ab Electra tandem agnoſcitur. clauſula tunc propriè nodus dicitur, cum timeat Spectator, ne actio primaria, ad quam omnis fabula refertur, aliter ac decet, cadat: Solu-

lu-

Digitized by Google

lutio dicitur, & cataſtrophe, cum idoneum & conſtantem exitum ſortitur, idque prȩter opinionem, unde admiratio ſpectantium & plauſus. Tempus intra cujus limites actio quȩ exhibetur, tranſigi potuerit, aſſignant artis Poeticæ magiſtri, diem integrum. locum itidem unum, qui oculis conſpici, qui animo facile comprehendi, poſſit, ut regiam, aut ejus aliquod conclave; porticum domus, vel atrium; templi veſtibulum, oram ſilvæ, &c. Partes, ſive Actus quinque, præfinit Horatius, & adfirmat conſuetudo poetarum latinorum, nam Grȩcos apparet hoc numero non ſemper uſos. Quædam fabulæ, tribus conſtantes actibus, Dramata vulgo appellantur, communi fabulis Dramaticis vocabulo. Finem Ariſtoteles docet eſſe purgationem animi, ſcilicet a vitiis & pravis affectibus: nihil enim ita mortales avocat a vitiis, ut metus calamitatum, quas improbis vident obvenire: nihil æque incitat ad virtutem, atque ſpectaculum hominis probi, cuius ita ærumnas commiſeratione proſequuntur, ut patientiam & fortitudinem laudent; aut cujus probitatem juſta mercede ac felicitate donatam gratulantur. Lege Artem Poeticam Horatii, ubi varia de hoc genere præcipit. Adde P. Mambruni commentarium, a me jam indicatum: conſule etiam, ſi Gallice ſcis, librum cui titulus, *La Pratique du theatre*. necnon obſervationes a Petro Cornelio,

lio, poeta Gallo, ſuis laudatiſſimis tragœdiis præfixas. Obiter monebo Senecam illum, cujus extant fabulæ, multa & gravia peccare contra leges artis: in quibus obſervandis Greci multo ſunt religioſiores.

§. IV.

De Tragœdia.

SI actio, quam imitatur poema Dramaticum, eſt præclara, & perſonæ illuſtris, vocatur Tragœdia: Si eſt plebeja, & è moribus vulgi ſumpta, Comædia nuncupatur. Tragœdia itaque definitur, Poema dramaticum, exhibens aliquam actionem præclaram perſonæ illuſtris. Preter illa que diximus paragrapho ſuperiori, & que tragœdie ſunt cum poemate quolibet Dramatico communia, videndum preſertim, ut Actio herois, que repreſentatur, & unde tragœdia vulgo nomen habet, non ſit prorſus ignota, & ex obſcure hiſtorie tenebris eruta: deinde ut ad mores hominum inſtruendos aliquid conferre poſſit. Quamobrem rectè ducetur ex uberrimo ſacrarum litterarum, aut annalium Eccleſie theſauro, in quo magna eſt rerum utilium, & admirabilium copia. Ita vero tractari debebit argumentum, undecumque tandem ſumatur, ut nihil non ſerium, grave, dignum poeta Chriſtiano, complectatur. Bene

ne morata & ſplendida fabula plus sępe spectatorem afficit ac movet, quàm concio erudititiſſima & eloquentiſſima. Nullus itaque ſit amori profano, quamlibet caſto, locus; nullus perſonis fœminarum, * quolibet induantur cultu. ignis licet cineri ſuppoſitus, tractari ſine detrimento nequit: ac prunę, quamvis extinctę, ſi non urunt, ſaltem inquinant. Hoc etiam ex iſta cautione capiet utilitatis religioſus magiſter, ut non habeat neceſſe lectitare vernaculos quoſdam poetas, quorum in fabulis amor tener, ac dedita opera quęſitus primas fere ſemper obtinet. qua lectione nihil eſt exitialius.

Quęrunt hìc aliqui num tragœdia ſit nenecesſario verſibus conſcribenda, num ſoluta oratione componi poſſit. Uſus obtinuit ut Jambico verſu ſcriberetur. affert rationem Horatius in Arte Poetica, quod èjuſmodi verſus ita pedeſtrem ſermonem imitetur, ut aliquid nihilominus ſonorum, & agendis rebus natum habeat. certę oratio ſoluta minus digna cothurno eſt. Epopœjam, conſentiunt omnes eruditi, alio verſu quam heroico ſcribi non poſſe: de tragædia quidam diſſentiunt, ſed minus belle. Ut vero vernaculis carmini-

---

* *Tragœdiarum, & Comœdiarum quas non niſi latinas eſſe oportet, argumentum sacrum ſit, ac pium: neque quicquam actibus interponatur quod non latinum ſit, ac decòrum: nec perſona ulla muliebris vel habitus introducatur.* Ratio Stud. Reg. 13. rector.

nibus ſcribatur, neque cuiquam auctor ſim, in iis enim verſibus inepti vulgo & ridiculi ſumus: neque leges noſtræ patiuntur, quæ latino ſermoni perdiſcendo ſervire litterarias Scholarum noſtrarum exercitationes volunt. Tum voluptatem non quamlibet conſectari theatra noſtra debent, ſed erudito, & ſelecto ſpectatore dignam: vileſcunt hæc artis miracula, cum ad imperitæ multitudinis guſtum & libidinem deprimuntur.

Numerum Jambici verſus & ſonum a Seneca, & P. Petavio quære: necnon a P. Malapertio, in Sedecia ſua. Fuerunt ſæculo ſuperiori poetę non aſpernandi, qui verſus Jambicos minus ſonantes & ſimiles Græcorum adamarent: malim ego Petavianos, modo fugiatur obſcuritas, & ſententiæ longiores amputentur.

Jam quod ſcenam & apparatum ſpectat, ita conſulendum eſt aurium & oculorum delectationi, ut ne profuſi ſumptus fiant, in quo juvenum magiſtrorum prudentiam aliquando deſideres, qui tum demum optimam ſe ſcripſiſſe tragœdiam arbitrantur, ſi maximè fuerit ſumptuoſa, ſi ornatiſſimam ſcenam, veſtes auro pictas, concentus exquiſitos, habuerit. Quid juvant ſternacem, aut ſtrigoſum quadrupedem, regales phaleræ?

§. V.

§. V.

De Comædia.

COmœdia definitur, Poema Dramaticum, actionem plebejam & è quotidiana vita ſumptam repræſentans. Eſt enim inſtituta potiſſimum ad erudiendam domeſticis exemplis, & è communi vita ſumptis, plebem; Tragœdia verò, viris principibus & heroibus admonendis eſt nata. diſcrimen ergo inter utramque petitur a perſonarum & actionum nobilitate vel ignobilitate: ut Ariſtoteles paſſim, tradit, non autem ex eo capite, ut quidam mendosè autumant, quod tragœdia funeſto claudatur exitu, comædia felici & læto. Quam multæ ſunt enim tragœdię apud Græcos, legum iſtarum ſcientiſſimos, fæliciſſima & lætiſſima clauſula terminatæ? Tragœdia eſt Imitatio illuſtris actionis illuſtris perſonæ: Comædia, Imitatio humilis actionis, quamvis perſonæ non ſemper humilis: nam in poematę Dramatico pręcipuè conſideratur actio, ejuſque ratio potior habetur quam perſonæ: nimirum, quia in eo proponuntur exempla quæ imitemur: imitamur autem non perſonas, ſed actiones perſonarum: quippe fęlicitas, qui finis eſt iſtius imitationis, in actione conſiſtit, ut docet Philoſophus. quia tamen tragœdia viros principes erudire de-

debet, nobilitatem actionis & perſonę requirit. Cum autem Dramatici poematis natura, & diſcrimina petantur ab actione, quæ illi proponitur imitanda, intelliges nullam dici Tragicomœdiam poſſe, quaſi poema è tragędia & comędia mixtum; ignotum nomen antiquis; & a Plauto duntaxat, cum ridere vellet, appellatum.

Viguit apud Græcos maximè comædia? Cujus ętates varias & genera deſcribit Horatius in ſuis Satyris. * Ejuſdem in Chriſtianis & religioſis Scholis uſus parcus & prudens eſſe debet, propter ſcurrilitatem huic generi carminis inſitam, quæ ſummopere cum inſtitutione pia & liberali puerorum pugnat, & eorum indoli depravandę perquam opportuna eſt. Nonnulla tamen argumenta probè tractari, ac hilarè poſſunt, ut adoleſcentis prodigi reditus in paternam domum, & alia quędam ſuperiùs, cum de declamatione dictum eſt, recenſita. Quis autem ferat ingenuos adoleſcentes vernularum & lixarum geſtus, mores, ineptias, doceri? quam merito parentes interdum conqueruntur, filios ſuos, non, ut artes iſtas condiſcerent, in noſtram traditos diſciplinam eſſe? Ejuſmodi autem perſonas ridiculas & mimos temere in tragœdiam ipſam conjici, adeo ut eodem tempore, quo prodit in ſcenam heros, propudio-

* *lib. 1. Sat. iv.*

ſus mimulus ſales inficetos, & nugas e trivio ſumptas, a tergo jactet, immane piaculum videtur, & ſicubi obrepſit moribus, emendandum. Neque hic ridendi locus, neque modus eſt: aliam oblectationem Muſę noſtrę deſiderant: ea paucis explicanda.

§. VI.

De Mimis, Choreis, & aliis rebus ejuſmodi, quæ Dramaticis fabulis inſeruntur.

MOris eſt, ut aliquid fabularum actibus interponatur, ad animos ab audiendi contentione relaxandos, & oblectandos cantu, geſtu, ſaltu. Cantum inſtruunt Symphoniaci, geſtu ludunt mimi, ſaltus dant Choreę. In his omnibus modus teneatur, ac valeat vetus illud, Nequid nimis: pręſertim in jocis mimicis, qui non tam certis finibus circumſcribi debent, quam penitus a theatris noſtris removeri. Delectent immundam plebem hiſtrionum ridiculi, petulanteſque motus, nugę Atellanæ, Feſcennini & prętextati luſus; at in conſpectum honoratæ coronę non veniant. Datur libenter locus ſaltatoribus, quia voluptatem afferunt homine liberali dignam, nec inutilem juventuti exercitationem habent. adde quod Dramatica ejuſmodi chorea, muta quędam eſt poeſis, erudito corporis motu exprimens quod actores carmine perſequuntur.

Pri-

Digitized by Google

Prima dos enim iſtius choreæ debet eſſe ut nexu aliquo ſit conjuncta cum ipſa tragœdia: & omnino audiendus Horatius, cum vetat: *Ne quid medios intercinat actus, quod non propoſito conducat, & hæreat aptè.* Si pacem inter duos reges compoſitam exhibeat tragędia, deſcribentur velut vocali ſaltatione, Pacis cauſę, effectus, & commoda: ſi bellum; bellorum originem, apparatus varios, adjuncta, oculis ſubjicies. Si Chriſtianum heroem produces de hoſtibus ethnicis triumphantem; produces pariter triumphantem Idololatrîa domita, Religionem: ſi viri principis in fraudem artibus invidorum inducti calamitatem ſcena deplorabit; ſi Amani deluſam ambitionem; quam belle, quam convenienter, ambitionis, & invidię damna in muto dramate proponentur? Fuit, qui Moyſem cum daret, negantem ſe Pharaonis filia genitum, & *improperium Chriſti* ſolio pręponentem; vel in liberando populo cum pręſtigiatoribus depugnantem, inde occaſionem caperet ſuperſtitiones Ægyptiorum deſcribendi, & magorum incantamenta. Id vero quia fieri commodè aliquando vix poteſt, ad alia quędam argumenta delabi fas erit, ac deſcribere verbi gratia, tempeſtates anni quatuor, quatuor ętates hominis; varia ludorum artiumve genera. Sunt qui materiam chorearum Scenicarum è fabulis maxime duci velint: aliis mirum quantum diſplicent om-

nia profanę mythológiæ commenta, ut pote nugaciſſima, & plerumque turpia. Ceterum id universè teneatur, ut ſit aliquid ſemper unum, & partes omnes in eandem formam conveniant.

§. VII.

Poetarum præſtantiorum nomina, ætas, ſtilus.

POeſis, ut artes ceteræ, partim regulis præceptiſque cognoſcendis, partim ſcriptione, lectione, & imitatione comparatur. Itaque juvat reſcire quinam poetæ præſertim legendi nobis, & imitandi ſint. Eorum indicem ſubjicio.

MARCUS ACTIUS PLAUTUS, natione Umber, patria Sarſinas, obiit anno Urbis conditę quingenteſimo ſeptuageſimo, qui fuit mundi termilleſimus octingenteſimus ſeptuageſimus. Non temere legendus eſt, propter nequitias, & impuros amores, atque adeò propter ſales invenuſtos, quibus ſcatent ejus comædiæ.

P. TERENTIUS, auctor eſt latinitatis terſiſſimæ. non legatur tamen, niſi repurgatus. Ortus eſt Carthagine in Africa, anno U.c. 560. In pingendis hominum moribus, & arte coagmentandę fabulæ, ceteros vincit comicos.

TITUS LUCRETIUS CARUS inſignis eſt

eſt ob latinum ſermonem, & sententiarum gravitatem. verſus habet paulo horridiores; interdum obſcenos & impios. Scripſit Phiſica. Romę natus eſt, anno ejuſdem Urbis 658.

CAJUS VALERIUS CATULLUS, Veronenſis, novem poſt Lucretium annis ortus, ſcripſit odas, elegías, epigrammata, &c. Sermo bene latinus eſt, verſus aliquando duriores, ſępe obſceni.

P. Virgilium annus U. C. 684. edidit futurum olim principem latinæ poeſeos. patria tanti viri, Andes, vicus prope Mantuam.

Q. HORATIUS FLACCUS quinque poſt Virgilium annis editus Venuſii in Apulia, omnia ingeniosè, ſplendide, luculenter ſcripſit, non pauca tamen habet lutulenta, & inquinandis moribus, niſi delectus habeatur, opportuna. prodiit ineunte sæculo, Romæ, Pariſiis, &c. cum brevi commentario accuratè repurgatus.

ALBIUS TIBULLUS, & SEXTUS AURELIUS PROPERTIUS, nati ſunt circa an. U. c. 710. hic in Umbrìa, ille Romę. uterque poeta melior quam caſtior, atque idcirco ablegandus a puerorum Scholis, niſi quis forte locus bene repurgatus excerpatur.

P. OVIDIUS NASO patriam habuit Sulmonem, urbem Pelignorum in Italia, anno U. C. 711. amęnus vates, copioſus, ingenioſus, & illaborata facilitate gratus, utinam æque caſtus & modeſtus! quamobrem peri-

culosè legitur non ſolum in iis libris, ubi nequitiam apertè profitetur, ſed in Metamorphoſibus, epiſtolis, &c. Triſtia & libri de Ponto minus habent periculi. Ejus Metamorphoſes expurgatas Roma paucis ante annis dedit, cum notis clariſſimis.

MANILIUS, incertum quo anno natus, rectè in extrema Auguſti tempora rejicitur, cui ſuum opus videtur dedicare. Scripſit Aſtronomica, verſatus ſatis concinne, ac feliciter in argumento per ſe ſe horrido, & intentato.

PHÆDRUS, origine Thrax, libertus Auguſti, floruit ſub Tiberio. lucet in eo nativus quidam latini ſermonis lepos, aureo Auguſti ſæculo digniſſimus. Vide quæ de illo & aliis nonnullis poetis, ſcripſit P. Franc. Vavaſſor, Societ. JESU, in ſuo de ludicra dictione, libro. Multa quoque de poetis & poeſi diſſerit erudite Poſſevinus noſter in ſuæ bibliothecę parte II. lib. 17. Addi ſolent ad Phædri calcem Avieni fabulæ. Is Theodoſio Seniore imperante vixit, hoc eſt annis poſt Phędrum circiter 350. Ejus latinitas immane quantum a Phędri nitore diſcrepat. Itaque pueris pręlegendus non eſt, quibus nihil, niſi optimæ notæ proponi debet, ne teneris mentibus hęreant aliena vitia, multo labore poſt eradenda.

SENECA, patria Cordubenſis, Lucii Annæi Senecæ, Philoſophi, ut multis placet, filius, vixit Neronis ævo. Artem tragicam igno-

ignorat. Ampullata ſunt ejus carmina, plerumque tamen plena ſpiritus & ardoris: latinitas non ignobilis: in ſententiis & orationibus, quas actoribus ſuis & heroibus affingit, modum vix tenet, multo præſtantior futurus ſi temperare ingenio ſuo, quam indulgere maluiſſet.

MARCUS ANNÆUS LUCANUS, Senecæ Philoſophi, ex fratre nepos, patria item Cordubenſis, Hiſtoriam civilis belli Cæſarem inter & Pompejum verſu ſcripſit, elato & ſæpe turgido, non nunquam acri & ingenioſo. cur illi poëtæ nomen abrogent eruditi, et oratoribus vel hiſtoricis annumerandum cenſeant, intelligitur ex iis quæ de poëſi diximus. Non enim poëmatis ſui materiam quasi facit, & rerum variarum inventione, & mutatione illuſtrat, ſed acceptam ab Hiſtoria ornatè proſequitur. Multos fallit ambitioſus ille ſententiarum tumor, & argutiarum fucus, ad pompam potius & faſtum, quam ad veritatem comparatur.

PETRONIUS ARBITER, civis Romanus prædives, Neronis familiaris, ejus flagitia deſcripſit, verſibus impuriſſimis & argumento convenientibus. uterque dignus oblivione, & execratione.

A. PERSIUS FLACCUS, Volaterranus, eodem Neronis tempore Satyras ſex ſcripſit, multo condîtas ſale: tuto legi, pauca ſi demas, poteſt.

SILIUS ITALICUS, ab Italica, Bæticæ Hiſpaniȩ urbe, ſic appellatus, ultimo Neronis anno conſulatum geſſit, iterumque ſub Domitiano. Poema compoſuit de ſecundo bello Punico. Virgilium, cujus cultor inſignis erat, imitari ſtuduit ac ſequi: multum abeſt, quin aſſequatur.

P. PAPINIUS STATIUS, Neapoli, ut verius creditur, oriundus, ſub Nerone & Domitiano ſcripſit Silvas, Thebaidem, & Achilleidem; ſtilo ſæpe confragoſo, & obſcuro. Ejus Silvæ ſunt amȩniores, & cultiores.

C. VALERIUS FLACCUS, Setinus, edidit libros octo Argonauticon, quos Veſpaſiano dedicavit. Statio purior & melior eſt.

MARCUS VALER. MARTIALIS, Bilbilitanus, Romæ annis quinque & triginta vixit, uſque ad Trajani tempora, cum in Hiſpaniam ſuam rediit. mores et ingenium perpolire poteſt ejus lectio, ſi obſcena deleas epigrammata, ut ab interprete nupero dempta & brevibus commentariis illuſtrata ſunt.

DECIUS JUNIUS JUVENALIS, Aquinas, poeta doctus, & eloquens, majeſtatem & aculeos, interdum declamatorios, habet: minus Horatio politus ac preſſus, Perſio uberior eſt. cave illum, niſi expurgatum, legas. nuper emendatus, & illuſtratus, prodiit.

CLAUDIANUS fuiſse Alexandrinus fertur. ſub Theodoſio magno, ejuſque liberis cla-

Digitized by Google

claruit, a quibus ei ſtatua in Romano foro poſita. Poeticos ſpiritus ingentes & meliore sęculo dignos habet, ac ſi tumoris nonnihil detrahas, vix ulli poetarum latinorum, pręſertim in iis quæ poſtremo loco ſcripſit, ſecundus eſt.

AURELIUS PRUDENTIUS, ſub eodem Theodoſio, in rebus Chriſtianam fere pietatem & religionem ſpectantibus operam poſuit, barbaro ſæpe, licet ingenioſo & erudito carmine.

Lege partem II. Bibliotecę Poſſevini, lib. xvij. ubi de poetis et poeſi diſſerit.

ARTICULUS III.

DE HISTORIA, CHRONOLOGIA, ET GEOGRAPHIA.

§. I.

Libri quidam neceſſarii ad hiſtoriam cognoſcendam.

QUam turpe eſt ignorare quid geſtum ſit antequam natus eſſes, tam neceſſarium eſt hiſtoriam, antiquitatis magiſtram, cognoſcere. huic ſaltem delibandæ primis annis, certum ſtata die tempus erit ſeponendum. Ad Hiſtoriam tum ſacram tum profanam veteris teſtamenti pernoſcendam ſufficiet Epitome

Digitized by Google

tome P. Saliani, itemque Baronii. Juvabit ac fortaſſe juniori magiſtro ſatis ſuperque erit totius hiſtoriæ ad noſtra uſque tempora Synopſis, a P. Dionyſio Petavio conſcripta, quod Rationarium temporum inſcripſit. Addi poterit eadem Synopſis a P. Horatio Turſellino confecta: utraque bene latina, & accurata. Paulo uberiores ſunt P. Philippi Brietii Annales ab Orbe condito.

Inter Scriptores antiquos ad hiſtoriam universè pernoſcendam legi poteſt Juſtinus: ad Romanam T. Livius, Florus, Saluſtius, Cæſar, Tacitus, Polybius, Dionyſius Halicarnaſſeus, Dio Caſſius, Plutarchus, &c. Inter recentiores Roſinus egregium edidit commentarium de Romanorum antiquitatibus: P. Alexander Donatus, de ipſa Roma: P. Cantelius, de militia, & foro romano, &c. Ad Græcam Herodotus, Thucydides, Xenophon, Plutarchus, Q. Curtius, &c. Hiſtoriam ſingularum nationum proprii Scriptores docent.

§. II.

Adjumenta diſcendæ Chronologiæ, & Geographiæ.

CRonologiam Hiſtoriæ ſi detrahas, oculum illi alterum eripueris. Rationem temporum duabus tabulis expoſitam P. Petavius

vius reliquit: eas auctiores jam videre eſt. Geographiam oſtendunt libri, & chartæ, ſeu tabulę geographicæ, quas veloci oculo percurrere identidem præſtiterit. Pomponius Mela veterem geographiam eleganti libello explicuit: eamdem uberius proſecuti ſunt Strabo, Ptolemæus, Plinius lib. 3. 4. 5. 6. utramque Cluverius & Brietius, recentibus curis illuſtrarunt.

Porro, ſive hiſtoriam legas privatim, ſeu pueris prælegas, id maxime ſpectabis, ut rerum geſtarum notitia ſerviat inſtruendis moribus. in alienam quippe vitam ut in speculum intueri decet, in quo cernamus vitiorum fœditatem, pulchritudinem virtutum: quanta cupiditatum ac perturbationum animi ſit labes; quis dexter gerendarum rerum modus, &c.

§. III.

De Hiſtoricis Græcis, & Latinis.

DE Hiſtoricis pleriſque Græcis & Latinis mentionem jam fecimus cap.1. de utriſque commentarium accuratiſſimum edidit Joannes Gerardus Voſſius: breviorem habet P. Poſſevinus in parte ij. ſuæ Bibliothecę lib. xvi. ubi multa quoque reperies de modo legendę Hiſtorię: necnon in Opere Chronologico P. Jacobi Gordoni Tom. 1. c. 20. Subjiciam

ciam Hiſtoricorum aliquot inſigniorum nomen, ſtilum, ætatem, ne illos hic deſideres.

Inter hiſtoricos qui Grecè ſcripſerunt numerum aliquem & nomen habent, POLYBIUS Megalopoli, quæ eſt Urbs Arcadiæ, natus anno Mundi 3849., & 548. ab Urbe condita. Res geſtas Romanorum per annos fere quinquaginta, nempe ab initio belli Punici II. uſque ad Corinthi excidium complexus erat libris 40. è quibus tantum quinque primi ſuperſunt, cum aliquot fragmentis aliorum. Præſtat juris civilis, ac rei bellicæ ſcientia, reſque magis in ſcribendo, quàm verba & ornatum, curat.

DIODORUS SICULUS, ſub Julio Cæſare floruit, & ad media uſque Auguſti tempora pervénit. Patriam habuit Agyrium, ſive Angyrium, urbem Siciliæ, unde illi cognomen Siculi. Superſunt tantùm libri 15. è 40. quos ſcripſerat de rebus Ægyptiorum, Aſſyriorum, Græcorum, & Romanorum. In recenſendis Olympiadibus, & Romanorum faſtis aliquando labitur, cætera laborioſus Scriptor ac diligens. Utitur dictione perſpicua, nec nimis ornata, qualis hiſtoriæ convenit.

DIONYSIUS HALICARNASSENSIS ab Urbe patria ſic dictus, Auguſti quoque temporibus vixit. Romanam hiſtoriam exorſus a principio pertexuerat uſque ad ſua tempora, libris 20. reſtant duntaxat decem, cum

ali-

aliquot fragmentis: accuratus eſt. Suis Græcis interdum plus æquo favet.

PHILO JUDEUS, & FLAVIUS JOSEPHUS, ambo Hebræi, ille ſub Tiberio, hic aliquot poſt annis, viguit. uterque ſuæ gentis hiſtoriam litteris mandavit; Joſephus præcipue cladem & excidium Hieroſolymorum illuſtravit.

APPIANUS, Alexandrinus a patria nuncupatus, ſub Trajano, Hadriano, & Antonino Pio, libros 24. de Romanis rebus vulgavit, tenui & anguſto ſtilo.

APPIANUS, Nicomedienſis, eodem Hadriano imperante, Bithynicam, Alanam, & alias id genus hiſtorias, compoſuerat. reſtant ſeptem tantùm libri de Alexandri expeditione.

ÆLIANUS, et DIOGENES LAERTIUS, ad idem Hadriani tempus pertinent. hic vitas Philoſophorum veterum egregie deſcripſit: ille variam hiſtoriam perſecutus eſt, & nonnulla de animalium ſolertia, item de bellica re.

POLYÆNUS, Macedo, ſub Marco Antonino Philoſopho, & L. Aurelio Vero Commodo, nongenta præſtantium ducum ſtratagemata libris octo collegit; ſcriptor elegans & argutus.

PAUSANIAS, Cæſareæ, in Cappadocia, natus, ſub eodem Antonino Philoſopho, libris decem Græcas urbes, & in iis antiquam

totius

Digitized by Google

totius Græciæ hiſtoriam complectitur.

PHILOSTRATI Duo memorantur: alter Severo imperatore vitam Apollonii libris octo expoſuit: alter, prioris patruus, vitas Sophiſtarum exaravit.

DIO CASSIUS, Nicœæ in Bithynia natus, Commodum & proximos imperatores vidit. Hiſtoriam Romanam ad Alexandrum uſque Mammeæ filium perduxit libris 80., quorum primi 34. periere: extant ſequentes 25. reliqui interciderunt; eorum compendium compoſuit Xiphilinus, Monachus Conſtantinopolitanus. Grandem ac Thucidydéum ſtilum æmulari ſtudet: Pompejo, Ciceroni, Senecę, &c. infenſior eſt.

HERODIANUS condidit hiſtoriarum libros octo ab exceſſu Antonini Philoſophi ad mortem Balbini & Maximini, ſtilo perſpicuo & elegante, quem Angelus Politianus interpretatione latina elegantiſſima donavit.

ZOZIMUS attigit tempora Theodoſiii junioris. reliquit hiſtoriæ libros VI. ab Auguſto uſque ad Romam denuo ab Alarico obſeſſam, homo ethnicus & principibus Chriſtianis feré ſemper infenſus.

PROCOPIUS ſub Juſtiniano vixit, oriundus Cæſarea Palæſtinæ. continet ejus hiſtoria libros viii., quibus bella contra Gothos, Alanos & Vandalos, geſta perſequitur.

AGATHIAS, Myrinæus, æqualis Procopii, ejus hiſtoriam continuavit, ac libris quinque

que res geſtas Juſtiniani proſecutus eſt.

Præter latinos hiſtoricos, de quibus meminimus cap. 1. art. 2. Sunt alii nonnulli deterioris notæ ac ſtili, non tamen aſpernandi ob hiſtoriæ fidem.

ÆLIUS Spartianus, Julius Capitolinus, Ælius Lampridius, Flavius Vobiſcus, floruerunt Diocletiani & Conſtantini magni ævo, vitaſque Cæſarum aliquot ſinguli ediderunt. Sextus Aurelius Victor viros illuſtres Romanæ reip. deſcripſit breviter, a Proca uſque ad Jul. Cæſarem. (Plinio tribui ſolet hic libellus, ſed mendosè) tum a Cæſare uſque ad Julianum: tertius, de Origine gentis Romanæ liber, ei ab eruditis abjudicatur. Alter Sextus Aurelius Victor in epitomen imperatorum vitas redegit è variis auctoribus, uſque ad exceſſum Theodoſii.

EUTROPIUS, Sophiſta Italus, Breviarium rerum Romanarum ſcripſit ab *U*rbe condita uſque ad Flavium Valentem. teſtatur ſe ſub Juliano Apoſtata militaſſe.

AMMIANUS MARCELLINUS, attigit Gratiani tempora: hiſtoriam a Nerva perduxerat uſque ad obitum Valentis ac libros ediderat 31. primi tredecim non extant.

CAJUS JULIUS SOLINUS, Collectanea rerum memorabilium, hunc enim titulum commentario ſuo præfigit; parum eleganter & accuratè ſcripſit.

AR-

ARTICULUS IV.

DE POLYMATHIA, SEU PHILOLOGIA.

§. I.

Variç diſciplinç quç pertinent ad Philològiam.

PErtinent ad Polymathíam scientiæ quædam liberali homine & erudito dignæ; ut ars scuti gentilitii, Symbolica, Epigraphica, Diplomatica; peritia numiſmatum, & aliæ id genus nonnullæ, de quibus libri peculiares extãt, parce ac leviter deguſtandi, niſi quem fortaſſe, linguarum cognitione percepta, ingenii certa dos, aut naturç facilitas, eò deferat. Sed antequam animum ad aliquam iſtarum artium applicet, prudentium conſilia, & præſertim majorum ſententiam atque auctoritatem, exquirat, ne ſciendi libidinem, & curioſitatem potius, quàm rationis judicium, & nutum Divinæ voluntatis, ſequatur.

Pars quædam Polymathîç eſt ratio ænigmatum rectè conficiendorum, quorum explicatio cum ſit quibuſdam in collegiis uſitata, & totum iſtud genus in magna obſcuritate verſetur, non erit alienum pauca de illo diſſerere.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Quid ſit ænigma: quo pacto conficiendum, & explicandum.

ÆNigma, eſt ſermo vel pictura tegens aliquid a natura vel ab arte factum, ſub verbis aut figuris cognitis, quę cum illa re occulta ſimilitudinem aliquam, & affinitatem habeant. Gręcum eſt nomen, a verbo αἰνίττομαι, *obſcurè & perplexè loquor*. Emblema in eo diſcrepat ab ęnigmate, quod res emblemate ſignificata pertineat ad mores, hoc eſt virtutes aut vitia ſpectet. Ita canis pictus fidelitatem adumbrat. Aliud quoque diſcrimen eſt, quod emblema figuras quaslibet admittat; ęnigma pictum non adumbretur ferè niſi humanis. Earum dos prima eſt, ut non ſint valde obſcurę, aut prorſus ignotę: ut earum affinitas cum re ſignificata poſſit ab homine perito detegi, quę enim ſunt plus ęquo reconditę et abſtruſę, dici potius debent myſteria & oracula, quàm ęnigmata. Secunda, ut tabula picta repręſentet aliquid unum, ſuis quidem partibus conſtans, at inter ſe junctis & eodem ſpectantibus: non vero pingantur varię res tempore, loco, argumento, diſjunctę. Si plures erunt perſonę, ſit una primaria, quę rem ęnigmati ſubjectam adumbret: alię ad eam referantur, eique ſerviant. Tertia lex hęc vulgo ponitur, ut res generis

maſculini pingatur in viro : fęminini , in fęmina . Id enim ratio signi perfecta poſtulat. Addunt illud etiam , ut ne ſit in ipſa tabula picta id , quod occultatur , verbi gratia, ſi enſis, eſt ænigmati ſubjecta vox, ut gladius nullus in tabella pingatur : niſi forte neceſſitas aliter jubeat ; ſi enim de oculo agatur , non poteſt perſona illum adumbrans pingi ſine oculis .

Ut ritè conficiatur ænigma, intuendum eſt, quid ſimile ſit rei quam picturæ velo conaris tegere . Placet librum proponere , pinges Chriſtum in medio doctorum *audientem* , *&* *interrogantem illos* . quid enim ſimilius libro , quam ipſe Chriſtus , liber vitæ , Sapientia ipſa , in quo ſunt omnes scientiæ theſauri abſconditi ? Idem liber adumbrari commodè poterit in Sancto Paulo Areopagum docente, in eoque perorante . vis nauticam Pyxidem ? Chriſtum in cymba cum Apoſtolis exhibe,&c. videndum deinde quænam ſint rei, quam velare verbis aut coloribus tentas , cauſæ ; materialis , ut loquuntur philoſophi , formalis , efficiens, & finalis : tum,qui ejuſdem effectus, quæ adjuncta , ſymbola, proprietates : hęc in variis tabellæ partibus , cum delectu & judicio , exhibebis . Cuniculus militaris quam belle in Samſone domum ſuccuſſis columnis evertente pingetur ? funes illi , qui ad pedes Samſonis jacebunt , reſtem ſufficient ſulphure illitam , quæ conceptum ignem admovet ni-

nitrato pulveri: non deerunt milites, & architectus cuniculi; non dolia, quæ veriſimile eſt minime tunc abfuiſſe, nec diei apud Philiſtæos feſti celebritatem cauponibus & vino caruiſſe: erunt illa uſui, ut iis indatur nitratus pulvis, &c.

In explicando ænigmate utendum ſtilo acuto, & eleganti, non nimis periodico et numeroſo. temperanda eruditionis, quæ nunquam abeſſe debet, auſteritas, leporibus ingenii & humanitatis; varietati & brevitati diligenter conſulendum. Poteſt exordii loco præponi deſcriptio, vel narratio hiſtoriæ, quam tabella proponit: imo ipſius rei, quæ latêre ſub hiſtoria nota dicetur. Deducentur ſenſim ad ejus intelligentiam auditores, adeo ut ipſi eam inveniſſe prius, quàm audiviſſe, gaudeant. Declarato arcano, inchoanda erit explanatio a perſona tabellæ primaria, & ad reliquas progrediendum. fugiendi joci protervi & illiberales, & quicquid aures pudicas ac ſeveras offendere vel leviſſimè poteſt. Inſtar clauſulę ſubiici poterit ode, elegia, laus Oedipi, aliudve aliquid loco vel tempori accomodatum.

§. III.

Quædam Ænigmati affinia.

GRYPHUS aliud nihil eſt quam ænigma Scripto adumbratum; ſed obſcurius tamen & intricatius, adeo ut negotium faceſſere nomini, etiam acuto, poſſit. nomen invenit a voce græca, latinè *rete*, quia explicantes implicat, irretitque: ſic appellatur etiã quælibet obſcura propoſitio, præſertim jocoſa & ludicra. Suppeditabit exempla P. Laurentius Le Brun in ſua Eloquentia Poetica.

Logogryphus non verſatur in rebus ipſis erudito vocum, aut colorum velo tegendis; ſed in ipſis vocibus celandis, earum ſyllabas, aut litteras reſecando, traiiciendo, & varie commutando. Sic in voce, Ovis, ſi demas primum elementum, reſtabit vis. unde natus verſiculus: *Imbellis tota eſt, caput exime, vis erit illi.* Sic a verbo navem, ſi tollas primam, & ultimam litterulam, habebis Ave, unde aliquis ad amicum ſcribens ajebat: *Mitto tibi navem prora puppique carentem*. In vocabulo *Aper* invenies pera, aër, per. Hujus obſcuritatis acumen quia in meris vocibus conſiſtit, logogryphus appellatur, quaſi dicas, vocis ambages & luſus.

Rebus vocantur figuræ voces, litteræ, quæ ſua diſpoſitione, numero, actione, vel colore,

re, verbum, ſenſum, paræmiam, aut aliud quidpiam exprimunt, non ſine aliquo sale. Ita Cupidinem aliquis pinxit qui Orbem terrarum ligat, cum hoc lemmate, *Omnia vincit amor*. Hoc genus facile in pueriles ineptias excidit.

Symbolum Heroicum, quod Galli vocant *une Deviſe*: eſt imago conſtans ex aliqua figura naturali, vel artefacta, quæ corpus Symboli dicitur; & paucis vocibus figuræ appoſitis, quam epigraphen, ſive animam Symboli appellant. His figuris & vocibus adumbratur aliqua ſententia latens, virtus, vitium, actio, &c. Similis tamen rei pictæ. Quamobrem tota vis, ac venuſtas Symboli maxime continetur ſimilitudine nativa figurę, cum ea re, quæ per illam adumbratur. Pinge, verbi gratia, ſpeculum, quod omnes quaſi formas induit: adde hanc vocem: *Omnibus omnia fit*, laudaveris egregiè virum Apoſtolicum, qui ſe ad omnium indolem, & utilitates fingit, accomodatque, *ut omnes lucrifaciat*, quemadmodum D. Paulus de ſe ipſe teſtatur. Itaque rectè symbolum Heroicum definias, Metaphoram pictam: ſive Ænigma inverſum. cum enim ænigmatis ſit exhibere opera naturæ, vel artis, per actiones ab hiſtoria, vel fabula petitas: symboli munus eſt, humanas actiones, dotes, aut cogitationes, repræſentare per figuras corporum ab arte, vel natura ſumptas. Porro debent voces ita figurę conveni-

venire ut in rem adumbratam eædem rectè quadrent. Fluvius ingens arva fœcundans, virum probum inſigni aliqua dignitate auctum exhibet, cum hoc lemmate, *Utilior, quo major*: quę vox de utroque rectè ac vere pronunciari poteſt. Solem pone cum hoc elogio: *Maz virtud que luz*. Principem nemo non intelliget virtute ſua, quàm dignitate, clariorem. Habes elegantiſſimam, & accuratiſſimam de hoc argumento diſſertationem P. Dominici Buhurſii.

*

Digitized by Google

CAPUT III.

DE VARIIS DOCTRINÆ PARANDÆ ADMINICULIS.

ARTICULUS I.

DE NOTIS ET EXCERPTIS.

UT è libris qui leguntur certus conſtansque capi fructus poſſit, aliquid excerpere ac notare omnino neceſſe eſt. Refert, id quemadmodum fiat. Primo pauca ſcribantur, & cum delectu. deinde quodcumque ſcribetur, pingatur accuratè, nec ita minutis characteribus, ut oculos fugiant & urant. Sint igitur in promptu varii libelli puri, in quos excerpta referantur, niſi malit quiſpiam certas majoris codicis aſſignare partes, quæ vicem librorum totidem obtineant.

In unum ex iſtis libellis coniicientur quæ generatim exempli cauſa, ad perdiſcendam linguam latinam pertinebunt. Ejus codicis capita quædam fient. 1. Deus: ad illud caput pertinent templa, religiones, ſacrificia, &c. Homo, cujus duæ partes caput hoc ſecabunt, corpus & anima. 3. Rex, imperi-

 rium,

um, leges. 4. Vita civilis, lites, ludi, amici. 5. Virtutes. 6. Vitia. 7. Pax & bellum. 8. Artes liberales. 9. Artes mechanicæ. 10. Animalia. 11. Vegetantia, metallica, & foſtilia. 22. Meteóra, elementa. licebit unumquodque caput varias in partes tribuere. ora paginarum ſit paulo amplior, ut exſcribi queat in margine titulus, aut synopſis rei, quæ in adjuncto paginæ loco tractabitur.

Porro in illis codicibus non erit ſemper neceſſe omnia perſcribere, ſufficiet plerumque indicare locum, ubi reperiatur quod annotandum judicaveris: v. g. templi deſcriptio, aut sacrificii; pugnæ aut victoriæ &c. maxime ſi quid ſit operæ longioris, ipſique fontes & libri ſint obvii, ac facile parabiles.

Alter libellus rhetoricæ aſſignabitur, ejuſque certę partes fient: verbi gratia, de locis oratoriis, de argumentatione, de figuris, de amplificatione, de motibus animarum excitandis, de variis orationum generibus, de ratione conſcribendę epiſtolę, &c. in iis autem capitibus non erit laborandum ut multę præceptiones coacerventur; ſed colligenda potius erunt, ſeu indicanda eximia pręſtantium oratorum exempla; diverſi nunc loci oratorii, nunc figurę alicujus tractandę modi, argumentorum ductus, &c.

Tertius liber aſſignabitur Poëticę: quartus Hiſtorię; quintus Geographiæ; ſextus Philológiæ. Quidam illud habent, nullum ut li-

brum

brum evolvant, quin ejus inſtituant criticen, & vitia, virtuteſque breviter adnotent: ſequatur id quiſque, quo ſe plurimum juvari ſentiet. Modum ejuſmodi annotationes conficiendi, & excerpendi è libris quidpiam, docet propoſito exemplo P. Alexander Fichetus, qui libros etiam enumerat ſingulis diſciplinis accomodatos.

ARTICULUS II.

ORDO STUDENDI.

CUm ordo, certuſque negotii gerendi & conſtans tenor, plurimum valeat ad omnia; tum vero ad ſtudia literarum feliciter promovenda ſic neceſſarius eſt, ut, eo neglecto, ruere illa penitus oporteat. Quamobrem minutatim ſingula perſequemur, & ſtudioſi præceptoris dies annoſque deſcribemus, ut quibus quaſi gradibus ad eam eruditionis quam captat, arcem evadere poſſit, intelligat. Temporis quod exercitationi cuilibet aſſignatur, ſpatia contrahere vel producere licebit, pro arbitrio moderatoris ſtudiorum, quem quiſque conſulet, & cujus à nutu conficiet ſibi quandam ephemeridem, eamque ſingulis menſibus recognoſcet.

Magiſter igitur cum primum docendi munus ingredietur, primo biennio horam unam, ac plures, ſi licebit, ſingulis diebus dabit linguæ

guæ Græcę percipiendæ: hujus temporis pars prior ponetur in Grammatica Græca lectitanda; poſterior in volvendo aliquo ex auctoribus Græcis, capite 1. aſſignatis §. 2. ordietur a facilioribus, & ad difficiliores gradum paulatim faciet: imo, ſi ſit animi ſatis, deguſtabit leviores, & gravioribus eruditam explebit famem.

Singulis hebdomadis die Lunæ aut Martis, componet aliquid Græcè: poterit interpretationem latinam elegantem, quales ſunt Hieronymi Volfii, Angeli Politiani, Frontonis Ducæi, aut Dionyſii Petavii, ſumere, quam in ſermonem Græcum convertat.

Comparabit ſe ad Auctorem Græcum, quem Studiorum moderator, aut rector Collegii aſſignaverit, explicandum, reddendamque ejus accuratam rationem, quo tempore Superioribus viſum erit, vel privatim, vel ſuper menſam.

Eodem primo biennio, horam unam quotidie, aut plures, ſi ſuppetat otium, collocabit in latina lingua perdiſcenda. pars temporis prior inſumetur in legendo latino Scriptore, pręſertim Tullio; & iis annotandis quæ monuimus eſſe obſervanda: horæ pars aliqua tribuetur componendæ ſcriptiunculę, quo diximus modo: * vel orationi latinę, cujus informare argumentum, & partes, deſcribere quam-

* *Cap. 1. §, 6. 7.*

quamprimum oportebit. Sunt qui ad ſcribendum ſemel aggreſſi, ægrè deponunt opus inchoatum: ac ſane dandum aliquid ardori, quo mens incitata fertur, ut navis ferente vento, quem non temere, cum adeſt, ſpernas; ne non adſit, cum velis: Patiar illud ſane, modo ſuum lectioni tempus non adimatur; & quod amiſſum uno die fuerit, altero ſarciatur.

Anni prioris labor in latino ſtilo elaborando ſic verſabitur, ut oratorii ſtili procudendi cura differatur in poſteriorem annum, niſi quis forſan eſſet latinæ jam linguæ peritior; tunc enim vetabit nihil quin, omiſſo veluti littore, altum petat. Imo illud conceſſerim non invitus, quoniam in litteris, ut in cibis, ſuo quemque guſtui ſervire paululum fas eſt, ut aliquis per integram hebdomadam, aut menſem, ſi lubet, totum ſe tradat Græcis auctoribus & victis fuſiſque dextra lævaque difficultatibus, in apertum campum enitatur, unde facilis in poſterum pateat ad omnem eruditionis Græcę partem via.

Licebit pariter primis illis duobus annis adire curſim egregium aliquem hiſtoricum, ut T. Livium, Cæſarem, &c. imo Virgilium, & Horatium, quaſi levandi tædii cauſa, convenire, nam apud eos habitandum, niſi anno tertio, non erit. quo anno uti & ſequentibus, poetæ latini, Virgilius, & ſi qui è recenſioribus eum ſunt propius imitati; Horatius, Martialis, & Ovidius expurgati, Clau-

dia-

Digitized by Google

dianus etiam & Seneca, poſtquam ſtilus Virgilianus abunde fuerit comprehenſus, evolventur. Quamobrem tunc ſibi quiſque de moderatorum ſententia ordinem legendi, ſcribendique conficiet: carmen latinum impenſius meditabitur: neque poetas Græcos, tum heroico verſu inſignes, tum tragico; aut Demoſthenem, Herodotum, Thucididem, &c. inſalutatos abire patietur. Quod ſi quem natura felix, aut præſidum juſſa, diutius in Scholis retinebunt, indulgere velis, ut ajunt, fas erit, ac totos Poeſi, eloquentiæ, Hiſtoriæ, ſinus pandere.

Diebus Dominicis mane vehementer auctor ſim, ut aliquid è Sanctis Patribus, præſertim Græcis, ad pietatem non minus, quam ad eruditionem alendam, volvatur, cujuſmodi ſunt Homiliæ Chryſoſtomi ſelectæ, Baſilii regulæ; Cypriani, Ambroſii, Salviani, elegantiores loci & illuſtriores.

Diebus vacationis pars aliqua laboris, nec nulla voluptatis, erit, oculos adiicere ad tabulas geographicas & chronologicas: delibare nonnihil è Petavii rationario temporum, Epitome Turſellini, aut Saliani compendio. Suffurari paululum otii quod in vernaculum librum, utilem juxta & elegantem, conferatur. Ea cum eruditis collegis inter ſpatiandum tractare volupe fuerit, ac decerpendis, odorandiſque iſtis floſculis amænitatem diei & ambulationis augere.

Stu-

Digitized by Google

Studiorum anno primo, magiſter in triclinio concionem vernaculam habeat, quo die rectori viſum fuerit. In eam vero parandam vix plures quam octo, dies, conferat. Secundo anno componat orationem latinam, quam in triclinio recitet, itemque anno tertio. Anno quarto carmen heroicum ſcribat, in triclinio pariter declamandum.

Pręterea Magiſtri altero poſt anno quam docere cęperint, itemque tertio & quarto latinam orationem habeant in Scholarum inſtauratione, in ſua Schola; rhetor publicam & ſolennem, in aula. Licebit in eadem Scholarum inſtauratione profeſſori humanitatis carmen condere, aut heroicum, aut è variis carminum generibus permixtum. In Scholis rhetoricæ & humanitatis duę, minimum, quolibet menſe, à Decembri, uſque ad Paſcha, fiant declamationes per horę dimidię ſpatium; una quidem ab rhetore, altera verò à magiſtro humanitatis; ad eas utriuſque Scholę auditores, ſi loci patiantur anguſtię, convenient: ſin minus delecti ex alterutra Schola. Rhetor in fine anni tragędiam majorem exhibeat: profeſſor humanitatis minorem, ſive drama, ut vocant, tribus nempe actibus conſtantem. Si quinque actibus velit, licebit, modo nihil indę Schola detrimenti patiatur.

Denique nullam eruditi pręceptores occaſionem ornandæ rei litterariæ, ac ſignifican-

dæ

Digitized by Google

dæ eruditionis ad majorem Dei gloriam, prætermittant, imo captent eam cupide accerſantque, ſi ultro non occurrat. Ita, cum in urbem gubernator novus, cum antiſtes, ſubibit; cum denunciata publicè pax, cum victoria de hoſtibus parta; cum Sancti cœlitum honoribus recens aucti; cum valetudo principi reſtituta; cum celebrandum viri honorati funus erit; continuo perſonent Scholæ læto muſarum, aut lúgubri cantu; nec inutilis ea cenſeatur impenſa, quæ in typographos, & edenda in lucem bona carmina, conferetur. Pateant Scholarum valvæ, preſertim Rhetoricæ, & humanitatis, cum explanatur auctor, cum alumni ſub finem hebdomadæ pia cohortatione latinâ inſtituuntur, ut ſi qui volent intereſſe, concurrant. Latinos auctores & Græcos interpretentur, enodentque diſcipuli, vocatis tum domeſticis, tum externis: præmia publice ſub anni finem diſtribuantur, &c. In iis autem omnibus, ſic aliqua pars detur ſplendori litterarum, atque pompæ, ut ad ſolidam eruditionem omnia referantur.

A R-

Digitized by Google

ARTICULUS III.

DE FREQUENTIORIBUS STUDENTIUM ERRATIS.

PErvagata eſt hæc de nonnullis querela, quod ſegniter in laborem incumbant. hoc tamen pretio uno doctrina emitur. neque eſt quod ingenij ſui tarditatem excuſent iſti ſegniores: quid enim non extundit labor, quid non aſſequitur aſſiduitas ac diligentia? neque onus ſtudii deprecari poſſunt, quod cum religioſa in Societate vita ſuſceperunt. Minimè vero dictitent ſe contentos eſſe doctrina levi, ac minimè ambitioſa; cum ad majorem Dei, Societatiſque noſtræ gloriam pertineat, ut quantum efficere ſtudendo poſſumus, tantum in doctrina progrediamur.

Alii contra pręter modum indulgent labori; hærent affixi libris, ad eos vix capto raptim cibo revolant, quod valetudini perinimicum: nunquam feriantur & ceſſant. Sed arcus ſi contentus maneat uſque, frangitur: & iſti fatiſcunt ad extremum et concidunt.

Alii perturbant ac permiſcent ſtudia; ut quidque occurrit, placetve, arripiunt. Vix eſt ut metam aſſequantur, qui ſemper extra viam currunt.

Multi ſtilum elaborant nullum: neque linguas ad plenum cognoſcere ſtudent: ita nec ſcribere latinè, ac ne legere quidem Græcè

no-

Digitized by Google

norunt. Fęda barbaries & hominibus ingenioſis fugienda!

Nonnulli diem concurſando, vel alias res agendo, vacuum ducunt: ſub veſperam abdunt ſe in muſæum, noctuæ litterariæ: ſic optimam diei partem perdunt, obliti auroram eſſe Muſis amicam. hoc vero inſtitutum non litteris modo, ſed etiam pietati vehementer eſſe infenſum nemo non videt.

Sunt qui memoriam parum excolant. Hic tamen theſaurus litterarum eſt: quem ut refertum & locupletem habeas, aliquid illi quotidie mandare & inſerere curabis.

Nec nihil vitii eſt in volutandis promiſcuè ac ſine delectu libris. Quos quibus horis, ac diebus legas tibi de ſententia prudentum prę-ſtitue: haud ita multos legi velim, priuſquam ſtilum genuinum extuderis.

In eo quoque peccatur ab aliquibus, quod optimos in unoquoque genere auctores omittant, contenti levioribus; vel ſtudio novitatis, vel iniquitate judicii. Suus ſit illis principibus litterarum honos, quos ætatum omnium conſentiens fama celebrat: ad eos quo quis propius accedit, eo major eſt. Quorſum pertinet rivulos conſectari, cum fontes teneas?

Neque in religioſo magiſtro culpandum non erit, ſi ſuis nimium viribus in ſtudendo fidat, ſi Divinam exorare lucem negligat. De Sancto quidem Thoma Aquinate prodi-

tum

tum eſt, eum nunquam ad ſtudendum acceſſiſſe, niſi prius conciliato pia precatione Deo.

Minimè omnium ferendi ſunt, qui non tam ſcribunt de ſuo, quam ex aliis atque aliis varia conſuunt, interpolatores miſeri, aut furtis etiam litterariis diteſcunt, infames plagiarii.

Ad extremum pauci conſtant ſibi, pauci quod recte inchoatum eſt, abſolvunt: deguſtant omnia, nihil toto auriunt pectore. Hanc quiſque partem eruditionis, quam aut objecerit neceſſitas, aut felicis naturæ impetus, dederit, vel Dei potius voluntas ſanctiſſima impoſuerit arripiat, ſed perſtet in incæpto tandiu, dum voti penitus compos fiat.

Hæc vitia qui vel eſſe levia putant, vel parum ſibi fugienda cenſent, videant quemadmodum ſuperioribus, vocationi religioſæ, Deo rationem otii noſtri, & negotii tam ſeveram olim repetituro, poſſint reſpondere.

Digitized by Google

SECUNDA PARS.

RATIO DOCENDI.

DUO docere debet Chriſtianus Magiſter, pietatem ac litteras: quorum primas cum facile pietas obtineat, de illa priore loco dicemus.

CAPUT I.

DE IMBUENDIS PIETATE DISCIPULIS.

DIſcipulorum pietas promovetur primùm ipſius magiſtri pietate: tum ſerendis in loco, ſive privatim, ſive publicè, piis ſermonibus: poſtremo variis artibus ad fovendum in teneris mentibus virtutis ſtudium idoneis.

AR-

Digitized by

ARTICULUS I.

De præceptoris ipſius pietate.

USus docet, ipſaque ratio confirmat, magiſtrorum mores a diſcipulis, ut a liberis ora parentum, exprimi; nec facile videas ex improbi doctoris ſchola prodire inſigniter probos: pietatem vita perſuadere prius debet, quam verba. Quales igitur fingere diſcipulos præceptor amat, talis ipſe ſit, ac multo etiam præſtantior; ſiquidem archetypas tabulas, unde reliquæ ducuntur imitando, eſſe oportet perfectiſſimas. Hoc vel ipſis ethnicis ita perſuaſum fuit, ut de præceptore pronunciare Quintilianus non dubitet: *ipſe nec habeat vitia nec ferat.* * Tum ſubdit: *Teneriores annos ab injuria Sanctitas præceptoris cuſtodiat; & ferociores a licentia gravitas deterreat. Quod ſi ſtudiis*, inquit alio loco,* *Scholas prodeſſe, moribus autem nocere conſtaret; potior mihi ratio vivendi honeſtè, quam optimè dicendi, videretur.*

Caveat igitur inprimis religioſus magiſter, ne quid de ſolito piarum exercitationum penſo detrahi ſibi patiatur, aut excidere ſtudiorum cauſa. Satis ſuperque temporis ei ſuppe-

 tit

* *lib.* 11. *c.* 2. * *lib.* 1. *c.* 2.

tit ad litterarum ſtudia, ſi nihil temporis malè conterat. Videat etiam, ne minuatur ſenſim atque effluat religioſa quædam demiſſio animi de ſe humiliter, ac parcè, de aliis honorificè exiſtimantis: hæc enim eſt eruditioni velut innata labes, ut ingentes afferat ſpiritus: *Scientia inflat*. *

Deum ſæpe, ut in regulis magiſtrorum præcipitur, pro diſcipulis oret: eos Beatiſſimæ Virgini, cuſtodibus ipſorum Angelis, ac D. Joſepho, pueri Dei alumno, diligenter commendet. Nunquam ludum ineat litterarium, quin aliquid piæ præcationis, ac fermè in templo, coram auguſtiſſimo Sacramento fuderit. Domine JESU, inquiet, qui pro his pueris mortem acerbiſſimam obire non dubitaſti, qui eos impensè caros habes, qui adduci ad te pueros juſſiſti, qui tibi fers expenſum ipſi, quod *uni ex his minimis* fiat, oro te, atque obteſtor, *ſerva eos in nomine tuo; tui ſunt, eos dediſti mihi. Pone verba tua in ore meo:* aperi cor eorum, ut amare te ac timere diſcant. *Averte faciem tuam à peccatis meis*, ne qua tuæ benignitati per me afferatur mora: & concede, ut quam imponis mihi, juventutis hujus erudiendæ provinciam, exequar prudenter, ſanctè, fortiter, ad gloriam tuam, quam unam in eo mihi munere præſti-

tuo.

---

* 1. *Cor.* 8.

Digitized by Google

tuo. Tu vero, Cœli Regina auguſtiſſima, quæ teneram hanc pubem, iſtos filiolos, a Chriſto primogenito tuo, tibi datos habes, *Monſtra te eſſe Matrem*. Vos, o beati puerorum tutores & præſides, quibus Divina bonitas et providentia ſtudioſam præcipuè voluit eſſe commendatam, aſpirate, obteſtor, labori meo, & opellam clientis veſtri fortunate.

Addet his precibus, Divinum Sacrificium, religioſus magiſter, ſi Sacerdos fuerit, quod pro diſcipulis identidem Numini offeret; memineritque auris inanibus jactari verba, etiam ſanctiſſima, & ex intimo deprompta pietatis penu, niſi Deus audientes intus admoneat. Deum autem nulla re magis alia nobis aliiſque conciliari, quam precatione. Adhibebit eam ob rem, & ſubſidio quaſi vocabit Sanctos, quorum quiſque diſcipulorum fert nomen, ac ſi lubet, ipſorum indicem habebit in promptu, quem recitet: item alios cœlites, qui velut publici profeſſique studioſorum patroni exiſtimantur, ut ſunt S. Nicolaus Mirenſis antiſtes; S. Catharina Alexandrina; S. Caſſianus martyr, olim & ipſe ludi puerilis magiſter, &c. necnon alii quorum pueritia virtutis alicujus & ſanctimoniæ laude inſignis extitit, qualis merito cenſetur D. Joannes Baptiſta, martyres Innocentes, Divus Pelagius, &c. In ipſa Schola ignem pietatis alet certis oratiunculis, quibus & laborem Deo conſecret ſuum, & obrepens moleſtę in-

 ter-

terdum occupationi tædium propulſet. Chriſtum dicentem audiet: *Si diligis me, Paſce agnos meos. Sinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere eos: talium eſt enim regnum Cælorum. Qui ſuſcipit unum parvulum talem in nomine meo, me ſuſcipit:* edet varios actus, caritatis, obedientiæ, humilitatis, deſiderii Divinæ gloriæ, & ſervandarum animarum. O fructuoſam, o divinam, ſi condiatur his virtutibus, Scholam!

ARTICULUS II.

De piis Sermonibus qui haberi cum diſcipulis poſſunt.

SUnt illi duplicis maxime generis: interdum enim injiciuntur velut ex tempore, ut occaſio tulit, minimè quidem meditati in Speciem & parati, ſed ad excitandos pietatis igniculos per quam idonei: idque aut publicè, inter explicandum, qui tunc prælegetur, auctorem, in emendanda ſcriptione; Item ſi feſtus dies admonebit; ſi quis diſcipulorum occupatus morbo vel morte fuerit; ſi repentinus quidam in urbe, vel regno acciderit caſus. Iidem ſermones pii feruntur aliquando privatim, cum uno aliquo, vel cum paucis, atque adeo paulo fidentiùs, ac ſi videtur, paulo ardentius, modò faſtidium puerorum, et jactura temporis fugiatur. Rectiſ-

ſimè

ſimè igitur faciet præceptor, cum ſe domi comparat ad explanandum auctorem, ſi animo jam tum proſpiciat eum Scriptoris locum, ubi nec opinantes alumnos pio aliquo verbo, ſententia graviore, Chriſtiano effato, percellat. in quo id obſervandum; pueros duci ferè magis timore Dei, ac metu pœnarum, in quibus juſtitia ſcelerum vindex elucet: eoſdem tenero pietatis ſenſu ſæpe commoveri: hanc indolem ita fovendam, ut in ſuperioribus tamen Scholis, quando jam nuces, quod dicitur, poſuerunt, ratione plurimum ducantur; & ea defigantur in eorum animis argumenta, quæ illos ad virtutem ſerio amplectendam impellant, et odio vitiorum internecîno totos incendant. Eam ob cauſam habeat prçceptor communes aliquot locos breves & efficaces, rationibus, ac potiſſimum exemplis, quorum præcipua vis eſt, inſtructos, adverſus ſingula vitia, quibus ætas adoleſcentum infeſta eſſe ſolet; ſecumque ſçpe reputet, quo maxime modo torqueri aliqua ratio poſſit, ut certum ictum perferat: hic eloquentię sacrę locus eſt, nec levis gloria.

Si quos privatim alloquetur, videat quę ſit indoles ſingulorum, ut pro ſuo quemque ingenio tractet, ac ſuo, quod ajunt, quemque hamo ducat. Eos autem juvabit alloqui ſçpius, qui ſolutiores videbuntur eſſe, & vitiis fortaſſe gravioribus obnoxii: quos ſi magiſter humanitate ſapienti, & religioſa devinxerit,

non ſibi tantum, ſed Chriſto adjunxerit.

In privatis ejuſmodi colloquiis poterit afferre domo aliquid meditatum, quo illos ſenſim perducat. Ac principio quidem de re aliqua obvia percontabitur, de eo quem obtinent in Schola loco; de domeſticis ſtudiis; de libris, quos evolvunt domi; de geographia vel hiſtoria: mox ad rem sibi propoſitam delabetur, nunc eorum ſententiam exquirendo; nunc librum pium, quem prę manibus habebit, quaſi oblatum caſu legendo, vel commendando; nunc hiſtoriolam in aures avidas inſtillando, ex qua intelligant verbi gratia, quam turpe sit mentiri, decipere, jurare, obſcęnam aut impiam vocem effutire, abſentes deſcribere, &c.

Demum captanda ubique ſolerter occasio, accerſenda etiam longius, si ultrò ſe non offerat, eos docendi quemadmodum erga Deum habere ſe debeant, quem ad finem procreatus homo sit; admonendi ut illum finem sibi proponant in omnibus; imbuendi ſunt odio peccati letiferi, ut ad ejus vel nomen cohorreſcant; inſtituendi ad Sacramenta crebro & rite uſurpanda: ad precationem, tum eam quę voce fit, crebro ac piè frequentandam; tum illam, quę mente, quantum ferre captus ætaſque puerilis poteſt. Erudiendi, quæ erga parentes, erga Superiores, erga æquales officia ſervare debeant: elaborandum ut de Sanctiſſimo Miſsæ Sacrificio ma-

magnificè ſentiant; eumque ſibi periiſſe diem putent, quo illa caruerint. tradenda quoque ratio, qua poſſint intelligere cui vitæ generi atque inſtituto maximè ſint idonei: & quemadmodum nullus ad certam vitæ conditionem temere, atque irato genio eſt impellendus; ita negligendi non videntur illi, quorum in colenda indole operæ pretium fieri poſſe merito judicatur.

Jam, ſermones pii aliquando habentur publicè ad omnes, ſub hebdomadæ vulgo finem, aut iis diebus, qui feſtis præeunt. Eas cohortationes sacras, vel doctrinæ Chriſtianæ explicationes magiſter ſedulo parabit, ac maturè quidem, et fermè dominico die. Juvabit ſcripto exarare præcipuas rationes, exempla, ſimilitudines, auctorum ac præſertim Sacræ Scripturæ teſtimonia. non exiliter & jejunè referantur exempla, ſed motus varii & rationes illis inſerantur, ut ineſcatæ aures narrationis ſuavitate illas facilius in attentos animos demittant. Quamobrem oportebit ſacras potiſſimum hiſtorias in promptu habere bene & eleganter expoſitas, quas non ſolum memoriæ mandent pueri, ſed domi etiam renarrent parentibus: ita noxiæ, & aniles fabulæ excludentur, aſſueſcent pueruli aptè narrare, & Sanctorum etiam librorum habere guſtum aliquem incipient. Eaſdem hiſtorias ab iis, cum te convenient, exquires; addes nonnulla, quibus acuas interrogandi

gandi

gandi cupiditatem, paulo reconditiora, quæ poſtmodum in Schola palam, ſi lubebit, repoſces. In tradenda porro doctrina Chriſtiana curabis ut diſcipuli audita repetant, quod in Scholis inferioribus nunquam eſt omittendum. Ita ſi doces quomodo ſit eliciendus de peccato dolor, facies ut modum illum nemo non apprimè teneat, ac repetat expeditè: laudabis eos qui commodius id præſtiterint; aliorum tarditatem increpabis, &c. Caveant oportet qui Scholas rhetoricæ & humanitatis obtinent, ne ſacras orationes accúrent ad pompam quandam & Specimen eloquentiæ, quaſi ſi concionem inſtituerent. ad puerorum captum accommodari debet ſermo, nec laboris exigui aut ingenii eſt, ita ſe demittere ad eorum anguſtias, ut a rerum ſacrarum excelſitate ac amplitudine magiſter Chriſtianus non diſcedat.

ARTICULUS III.

De variis artibus fovendæ adoleſcentum pietatis.

MOnendi ſunt in primis ut Studia referant ad Divinam voluntatem & gloriam, Deoque placere, & probari velint, ut initium ſtudendi faciant ab aliqua pia precatiuncula: cohortandi, ut ſub Scholam Chriſtum in æde Sacra deliteſcentem conveniant:

cu-

curandum ut in Sodalitia B. Virginis adſciſcantur ii, qui maximè omnium videbuntur idonei: laudibus efferendi, qui ſe præcipua pietate commendant, & in pretio palam habendi. Dividendi ſingulis identidem libelli pii, præmia diligentiorum, benevolentiæ pignora, incitamenta virtutis: ſed oſtendendum quo pacto legi utiliter, ac mente tractari poſſint; nec ratio non repetenda eorum, quæ lecta fuerint, comiter tamen & aliud agendo; nihil enim æque virtutibus inimicum, atque violentia; ultro ac libenter fiat, quod fieri bene ac diu velis.

Auctorum interpretatio ſit ejuſmodi, ut Scriptores, quamvis ethnici & profani, omnes fiant quodammodo Chriſti præcones, hoc eſt, ut ad virtutis laudationem, & vitii vituperationem omnia revocentur. commendentur, quæ honeſtè; damnentur, quæ ſecus facta occurrent: ſententiæ ſalubres parvulorum pectoribus inſerantur, quę opportunè deinceps ab iis reddantur, & ſtimulos ad bene vivendum admoveant. Scriptionum argumenta, quæ tradentur ipſis e vernaculo ſermone in latinum convertenda, contineant vel hiſtorias graves, vel utilia monita; caveat tamen prudens magiſter, ne id fiat cum tædio ac ſatietate puerorum; imo proderit nonnulla feſtivè dicta factave permiſcere, ut ars Chriſtiana lateat. Comædiarum, ſi quæ in ſcenam producentur, & tragœdiarum fa-

bulę,

bulę, ſpirent pietatem, ac potius petantur è ſacra vetuſtate, quàm è profana. Quam multa ſunt è quibus ingens ad animarum frugem exiſteret utilitas, ſi tantus ſalutis alienę procurandę ineſſet mentibus noſtris ardor, quantus ineſt aliquando ad inanem gloriolam è ſtudiis colligendam, aut ad paſcendam levi, ſi non plectenda, voluptate, ſciendi cupiditatem! longe mens alia nobis eſſet, ſi exhauſtos a Chriſto pro ſervandis mortalibus labores, ſi æterna ſupplicia perituris animabus conſtituta, ſi religioſi doctoris partes nobis impoſitas, attenta cogitatione verſaremus: Si denique regulas noſtras audiremus quæ volunt. *Omnes diſciplinas inſtituto noſtro convenientes ita proximis tradi, ut inde ad Conditoris ac redemptoris noſtri cognitionem atque amorem excitentur*. * Et alio in loco * jubent traditos in Societatis diſciplinam *adoleſcentes ſic inſtitui, ut una cum litteris mores etiam Chriſtianis dignos in primis hauriant*. Hęc meta nobis propoſita eſt: ad hoc ſignum collineare litterarii labores noſtri debent.

C A-

* 1. *reg. Provincial. in Ratione Studiorum*.
* 1. *reg. commun. prof. claſſ. infer.*

CAPUT II.

DE DISCIPULORUM ERUDITIONE.

UT eruditi fiant adoleſcentes non ſatis eſt ſi ſtudeant; id maxime curandum ut ſtudere, ut eruditi eſſe, velint. Ut porro id velint efficitur facillimè dedecoris metu, & æmulatione. De hoc utroque Studiorum ſtimulo primùm dicemus deinde pauca de privatis diſcipulorum Studiis; demum paulo plura de publicis Scholę exercitationibus ſubjungemus.

ARTICULUS I.

DE DUPLICI STUDIORUM STIMULO.

ESt illud in regulis noſtris perquam ſapienter obſervatum & verè, multo plus apud pueros profici dedecoris, quam pœnarum, metu: nec facile reperias unum aliquem è plagoſis iſtis Orbiliis, qui diu ludum puerilem aut ſuaviter, utiliterque, tenuerit. Quamobrem in id unicè incumbere magiſtri ſapientis cura debet, ut his duabus machinis, laude, & vituperio, Scholam ſuam regat. Hæc alunt æmulationem, cotem ingenii puerilis, calcar induſtriæ. Eandem privatæ diſcipulorum

lorum inter ſe concertationes juvant. Nemo, verbi gratia, ſolus legat ſcriptionem; paratus adiit æmulus qui reprehendat, qui inſtet, qui pugnet,qui vincere gaudeat. Nemo item interrogetur ſolus, ſed præſto ſit qui reſpondentem, ſi ceſpitet, erigat; hæſitantem redarguat; obmuteſcentis vices & locum obeat. Schola ſuperior cum inferiori componatur, delectis ex utroque agmine pugilibus, conſtitutis judicibus, ſpectatoribus evocatis, tum domeſticis, tum externis, & quidem, ſi fieri poterit, non obſcuris. Oratiunculæ, poemata, & aliæ id genus pro captu scholæ lucubrationes, identidem recitentur ab uno vel pluribus alumnis ejuſdem Scholæ. acciri tunc poterunt adoleſcentes ex inferiore Schola qui audiant & mirentur, qui dicentem laudent, cohoneſtent aliquo epigrammate, nodum aliquem ſolvendum proponant, &c. Ad hunc modum explicabitur vernaculè, & illuſtrabitur Maronis liber, oratio Tullii, pars Horatii, Juvenalis Satyra, fabella Phædri, hiſtorici locus; interrogantibus vel æmulis, vel ſpectatoribus & agonóthetis; moderante rem totam præceptore. In iis omnibus nefas ſit alium ſermonem adhibere quàm latinum, in quo vel pueruli plus opinione poſſunt. ætas cerea, quocumque flectas, ſequetur.

Hos vero æſtus animorum puerilium, hæc partium ſtudia, non ut ludicrum & alienum, ſed ut ſuum & grave negotium magiſter tractabit.

Digitized by Go

ctabit. Induet certantium animos; pro utraque parte laborare ſe, vigilare, ſollicitum eſſe, præ ſe ferat: angatur cum victis, & quaſi triumphet cum victoribus; horum victoriam prædicet, illorum doleat vicem, ac ſpem fortunæ melioris faciat: alios ab adverſariis increpari palam & reprehendi acerbius, patiatur: alios contra jubeat celebrari. Palmam, ſi lubet, vel coronam deferant victi ad pedes victoris, ornatam lemniſcis & orichalco. proſtent certo in loco venales ſudore lauri, præmia vi rapienda. componatur e doctiſſimis quibuſque ſenatus, in quo errata & pœnę delinquentibus imponendę expendantur, ac publico decreto irrogentur: magiſtro id ratum habente quod illuſtriſſimis Senatoribus viſum fuerit. Sunt qui menda graviora in cenſorum libros & quaſi tabulas publicas referri jubeant, adſcripto nomine auctorum, hęc menda ſingulis hebdomadis ſemel, aut ſępius recitantur per pręconem. Similiter illa ſcribentur quæ ingenioſe fuerint elaborata, eleganter dicta, explicata doctè, ſubtiliter inventa. addetur elogium auctoribus, & in eodem libro perſcribetur ad perennem memoriam, & nominis in litterarum regno celebritatem.

Alii errorem majoris momenti ab aliquo, pręſertim è scholę proceribus admiſſum grandibus exarandum litteris, & ejuſdem Scholæ parietibus affigendum curant; vel recitari

cla-

clara voce jubent ſemel atque iterum, ut ea vox & acclamatio aures puerorum perſonet, erroremque altius in animis defigat. Alii hęc menda in ſingulorum ſcriptione poſtridie deſcribi ab unoquoque volunt: alii apponunt errati defenſores aliquos & patronos, qui dum illud pravè tueri conantur, ridiculum ejus auctorem faciunt. Ludibrium & amara laus plus interdum, quàm ſeria peccati exprobatio, urit ac pungit. Alii ſcamnum quoddam infelix in media Schola, vel in ejus angulo ſtatuunt, quod Barathrum, aut Latomias, aut Gemonias etiam ſcalas, appellant. In eo qui ſedet, huic inuſta eſt ignominiæ nota; imponitur, tandiu dum in eo hęret, multa litteraria; datur tamen facultas emergendi, ſi quem alium aut recitanda pręlectione, aut ſcriptione melius elaborata, vincat. Sunt qui trophęum ſtatuant in media Schola: huic rapta de victis ſpolia victores appendunt. Sunt, qui facta rectè privatim à diſcipulis, ſive pietatem illa ſpectent, ſive litteras, colligant unum in libellum, tacitis nominibus, eaque recitare qualibet hebdomada vel ſingulis menſibus jubeant: quod ceteris vel pudori, vel exemplo, ſit. Sexcentę ſunt ejus generis artes, quæ non modo ſerviunt acuendis puerorum ingeniis; verum etiam præceptorem laboris parte levant, ac pœnarum ſumendarum invidioſa, & moleſta neceſſitate, liberant.

Lau-

Laudem ac dedecus prudenter & cautè magiſter diſpenſet: ne præmia, ſine delectu ac modo effundat; faciendum ut iis pretium arroget non tam materia & moles, quam calculus, nomenque præceptoris: dedecoris ſit quàm laudis parcior: in eoque id apprimè caveat ne alienum & averſum ab eo, quem objurgat, aut vituperat, animum præ ſe ferat; ne contemptum, ne deſperationem oſtendat. Cum enim vident pueri ſe famam perdidiſſe, ac pro deſperatis haberi, deſperant & ipſi ſibi, perfricant frontem, & conatum ad meliora prorſus abjiciunt. Igitur publicis privatiſque reprehenſionibus aſpergenda modica laus aliquando erit, culpa in alios avertenda, concitanda ſpes rei melius gerendæ, curandum ut per alios vituperentur, a te laudentur ipſo & erigantur, &c.

Enitendum ut qui provehuntur in Scholam Superiorem, anno exacto, ſi qua laude ſunt inſignes, maximè ſi exemplo & contentione ſua æmulationem hanc & rem litterariam adjuverint, cum elogio aliquo & eruditionis diligentiæque commendatione non vulgari provehantur: ut eorum nomina, in laureatis deſcripta chartis, vel typis exarata, ſi lubet, legantur, appendantur pro Scholæ foribus, &c. iidem appellentur cum honore, ac donentur aliquo præmio, in publicis declamationibus, quæ una Schola alteram invitante, habebuntur. Sint arbitri litium eru-

ditarum, & controverſiarum, quæ inciderint in Scholis; aut a magiſtris compoſitò adornatæ fuerint; ad eas dirimendas legari publica auctoritate poterunt, ſententiam ſcripto ferre clam, & occultis ſuffragiis, &c.

ARTICULUS II.

DE PRIVATIS DISCIPULORUM STUDIIS.

CAvendum ne quid oneris juſto gravius, & iniquius adoleſcentibus imponatur; excutiunt enim potius, quàm perferant: deinde faciendum ut quæ ſunt impoſita, corrigantur accurate. Plurima memoriæ ab iis mandentur, in eoque penſa adventitia, & mulctæ potiſſimum verſentur, ut memoriam diſcendo excolant; qui labor ut eſt fructuoſior, ita & gravior. * Commendet magiſter libros atque indicet, quos a diſcipulis legi privatim oporteat, & quo ſint legendi pacto monſtret. Diligentioribus extraordinaria quædam ſtudia, in quibus domi, cum vacabit, ponant operam, aſſignari poterunt, maximè in Schola humanitatis, & rhetoricæ: verbi gratia, legendi auctores Latini, Græcive; huic T. Livius; illi Q. Curtius, aliis Iſocrates, Demoſthenes, Homerus; &c. nunc

poe-

* *Quintil. lib. xi. c. 21.*

Digitized by Google

poëma componendum, nunc oratio; modo etiam ſcenicus aliquis ludus, uni pluribusve tribuetur. Hæc domi ſedulo parata proferri poterunt in Scholę & Civitatis lucem. Inſtituendæ, ſi videbitur, quædam academię, ſive exercitationes privatæ; exempli cauſa de oratore, vel poeta Latino, Gręcove; de Hiſtoria, Geographia, &c. ad quas ſelecti alumni certum in locum ſtato tempore convenient ſub Scholam, vel diebus vacationis. Prẹerit illis academiis prẹceptor: aut alius aliquis è noſtris. Eligetur ex ipſo cętu, communi ſuffragio unus, qui Princeps academiæ, & veluti moderator ſit: addentur eidem conſiliarii & aſſeſſores, plures pauciores ve pro numero academicorum. Principis academiæ, cum aberit, vices primus conſiliarius tenebit. Eligetur etiam Scriba, ſive Secretarius, & alii generis ejuſdem magiſtratus, qui ſubinde mutabuntur. Secretarii munus erit referre in codicem academicorum nomina, & magiſtratuum qui eligentur. item eorum qui rectè quid ſcripſerint: monere quæ exercitationes & a quibus habendæ ſint: proponere publicè, quæ legenda palam, aut propugnanda erunt, &c.

Academiæ vulgo tribuitur horæ unius ſpatium, quod hunc in modum tranſigitur. Priuſquam habeatur academia, deſignatur materia de qua proximè ſit diſſerendum, exempli cauſa, locus, aut liber, oratoris, aut

poetæ, Latini, Grçcive, explicandus. Hunc locum domi parant omnes academici, & ejus particulam explicant in ipſamet academia: mox unus, duo, vel plures, obortas ſuper illo eodem loco difficultates proponunt: alii quæ videntur annotanda indicant. proponitur deinde ſcriptio, contexta ferme ex iſto loco, ſeu libri parte. Scriptionem ab academiæ principe, vel a pluribus excogitatam & confectam, ſinguli elaborant domi. illç Scriptiones dantur examinandæ magiſtratibus, & referente academiæ Principe, vel ejus Scriba, is qui omnium optimè ſcripſit, donatur præmio. Hæc ſcriptio dictatur correcta, & ab omnibus ſumitur. Errata, nominibus auctorum tacitis, appellantur, & in tabulas academiæ referuntur. proponi theſes poterunt quæ defendantur & oppugnentur, oratorio tamen more potius quam dialectico. Denique leguntur eruditæ lucubrationes ab academicis privato labore conſcriptæ, verbi gratia, ode, elegia, epiſtola, narratio, &c. referentur optima quæque in librum huic negotio deſtinatum, quod ærarium academiæ rectè dixeris, ut merita laude, qui ceteris ſcribendo præſtitere, gaudeant.

Antequam dimittatur academia, præſtituitur ſcribendi argumentum, legendus, & explicandus auctor aſſignatur, eruditionis aliquod caput excutiendum, &c. Si quis recitare memoriter quidpiam velit, vel auditur

in

Digitized by Google

in publico conſeſſu; vel audiendi negotium certis academicis datur.

Brevi precatione finis imponitur academiæ, eademque ratione inchoatur.

Si quis in eam cupiat adſcribi, præbeat oportet ſpecimen eruditionis, explicando aliquid, ſcribendo, ac memoriter recitando. de illo admittendo referetur ad academicos, qui publicis privatiſve ſuffragiis adoptandus ſit necne, judicabunt.

ARTICULUS III.

DE PUBLICIS SCHOLÆ EXERCITATIONIBUS.

§. I.

Nonnulla de illis univerſe præcipiuntur.

EArum hic ordo eſſe ſolet: recitantur prælectiones: explanatur nova prælectio: Scriptiones emendantur, auctor latinus in patrium ſermonem vertitur, dictatur aliquid de arte dicendi in Rhetorica, vel de geographia: concertatur in Scholis inferioribus.

De iſtis exercitationibus universè quædam præcipi poſſunt, quædam ſingillatim & propriè. Universè quidem videndum eſt, ut ſuum ſit unicuique tempus fixum & ratum; ut aliis aliæ temerè non præponantur, ut nul-

lę omittantur, vel accidantur. Deinde ut, quoad fieri poterit, nemo ſit illarum immunis: nemo, verbi gratia, non recitet lectionem, non legat ſcriptionem, auctorem interpretetur, concertet, reſpondeat, &c. certa dies per hebdomadam aliquibus tribuatur, ſi quotidie univerſis opera ſingillatim dari nequit; nec eadem tamen iiſdem ſemper dies aſſignetur, ſed conſulto mutetur. obſervabit ergo præceptor antequam ludum litterarium ſubeat, quos cui exercitationi deſtinet, ac ne quis excidat, cavebit. in quo ita peritiores exercendi, ut deteriores præteriti, & neglecti non fuiſſe videantur. Si quid in Schola dictabitur, id & breve ſit & neceſſarium. curabitur ut ſingulis hebdomadis declametur publicè aliquid, & pueri vocem geſtumque moderari cum dignitate doceantur. Latinè loquendi conſuętudo quam diligentiſſime retinenda: neque fuerit inutile formulas aliquot proponere adoleſcentulis, quas in lyceo in congreſſu familiari, in ipſo ludo, uſurpent. ultro enim ac libenter dicimus, quod nos bene, atque eleganter dicturos confidimus. Dabit operam magiſter ipſe ut emendatiſſimè loquatur, ut loquentibus, ut balbutientibus, præeat. juvabit illud etiam, ſi propoſitis pręmiolis aut pœnis, tanquam ex lege, provocent alii alios, & emendent inter ſe ſe: deligentur doctiores nonnulli qui, ſi quid ortum ſit litis, decidant.

Pau-

Pauca ſingulis Scholis pueri doceantur, ſed accuratè, & ita, ut hæreant in mentibus. meminerit præceptor ingenia puerorum eſſe veluti vaſcula anguſti oris, quæ ſuperfuſam liquoris copiam reſpuant, ſenſim inſtillatam recipiant. Itaque ſæpe interroget, ac eorum quæ dixerit rationem modo ab his, modo ab illis repoſcat. peritiores diſcipuli quæ fuerint explicata repetent rudioribus aliquando, & familiariter explanabunt. ſic utrique plurimum proficient; nec raro accidit ut ab æqualibus diſcant facilius pueri, quam a magiſtro.

Non eſt illud prætereundum, quod multis, ubi adoleverunt, magno emolumento ſæpe fuit, ut aſſueſcant diſtinctè loqui & articulatim; * non præpropere, ut ferè fit, raptim, turbidè: ut interſiſtant, ſermonemque interpungant, ubi opus eſt.

§. II.

Scholæ exercitationes ſingillatim expenduntur.

UT aliquid ſingillatim de iiſdem Scholæ exercitationibus præcipiamus; caveat magiſter dum lectiones recitantur, ne ceſſent pueri, & otioſè circumſpiciant: habeant quod legant, vel ſcriptitent, ut epigrammata, cujus

* *Quintil. lib. xi. c. 3.*

argumentum uno verbo proponatur, locum auctoris interpretandum, excerpendas e Tullio, Virgiliove, locutiones latinas: interim aliquot ejus diei ſcriptiones evolvere magiſter tunc poterit. Sub finem illius dimidię horæ, quæ vulgo recitantibus tribuitur, legantur abſentes & reverſi: appellentur, qui excuſationem abſentiæ repræſentare debent; recognoſcantur extraordinaria penſa; moneantur diſcipuli ſi quid incidat eo die, vel poſtridie, de quo monendi ſint, ſi quid peccatum publicè, &c. Ut abſentium cauſas, & alia id genus prçceptor commodè cognoſcat, præſto ſit in area paulo ante ultimum nolæ ſignum.

Sequitur explanatio Ciceronis, Virgilii, aut alicujus auctoris Scholæ accommodati. hujus explanationis quinque, ſexve partes fient, ut fuſiùs in articulo ſequenti declaratur: prima eſt argumentum prælectionis: ſecunda, expoſitio & enucleatio ſingularum ſententiarum, ſi breves, ſi obſcuræ, ſi implicatæ, ſint: tertia explicat ea quæ pertinent ad aliquam eruditionem; ad hiſtoriam, mores gentium, &c. quarta, in Scholis provectioribus exquirit quæ ad rhetoricam, vel poeticam ſpectant; quinta expendit latinitatem. Addi ſexta poteſt, ut inſinuetur quod valebit ad mores informandos, fovendamque pietatem; id vero ſi ſponte ſe non offert, arceſſere licebit etiam longius. Interim diſci-

ſcipuli præ manibus habeant libros, qui explicantur; ſcribant annotationes iſtis partibus reſpondentes, quas præceptor juſſerit, ſed caveatur, ne quid aliud ſcriptitent. eas in proxima quæ afferetur ſcriptione deſcriptas reddant, ac ſimul habeant in libris exaratas & ſervent. Sic, vel inviti attentas cogentur præbere aures, & peculium eruditum augebunt. Ad vitandum explicationis longioris tædium, ne pigeat eandem ſæpius abrumpere, unum aliquem aut plures carptim, interrogando, maxime ſi cujus aures peregrinari animadvertentur. Variæ ſunt artes excitandæ attentionis, quas docebit uſus, & ſua cuique induſtria ſuggeret.

In legenda, & emendanda * ſcriptione initium duci poterit a peritioribus, qui ceteris nimirum exemplo ſint. ab iis ſi quid allatum erit emendatius, dictabitur integrum, vel, nonnullis immutatis: mox infimorum ſcriptiones audientur; accincti erunt qui emendent, aut ejuſdem, aut ſuperioris ordinis, aliquando inferioris, ut pudoris & ignominiæ plus incutiatur peccanribus: quod erit reprehenſum inculcabis, rationem errati proferes, & ut repetatur curabis. Quæ ſcribuntur à pueris, commodius emendantur, ſingulas partes, ac periodos percurrendo, & ut quæque lecta eſt a pluribus, & quaſi perpurgata,

* *Quintil. lib. x. c. 4.*

gata, corrigendo: in humanitatis & rhetoricæ Scholâ carmen integrum, aut amplificatio cum dignitate fructuque perlegitur. In ejuſdem rhetoricæ tradendis ad ſcribendum argumentis ſolutæ orationis, quidam ſervandi ſunt gradus: itaut primo dentur componendæ periodi; tum figuræ periodis admixtę, poſtea ratiocinationes, enthymemata, dilemmata: loci oratorii extrinſeci, & intrinſeci; partes orationis, ut exordia, narrationes, & confirmationes; demum orationes integræ, primum in genere judiciali, deinde in deliberativo & exornativo. identidem inſerentur epiſtolæ, fabulæ, inſcriptiones, epitaphii condendi ratio, & aliæ id genus ſcriptiunculæ amæniores, nec minus neceſſariæ. lege Quintilianum lib.2. capite 4. ubi multa ſapienter de ratione ſcriptionis emendādę pręcipit.

In inferioribus Scholis, licet non ſit anxie laborandum de ordine et nexu ſententiarum, quæ poſſunt eſſe ſingulæ breviores, & abruptæ, nihilominus debent eſſe ejuſmodi, ut contineant aliquid ſcitu non indignum, quod alere ingenia puerorum & augere poſſit. Quam multa pręcepta morum egregia occurrunt in Tullio, in Stobæo, in veterum apophthegmatis, quæ illigari poſſunt in ſcriptionem? quàm multa ex hiſtoriarum acervo depromi? Quæ ad ſcribendum proponentur, ait Quintilianus, * non otioſas velim ſenten-

tias

* *lib.* 1. *Inſtit. c.* 1. *lib.* 11. *c.* 6.

„ tias habeant, ſed honeſtum aliquid monen-
„ tes. Proſequitur hæc memoria in ſenectu-
„ tem, & impreſſa animo rudi, uſque ad mores proficiet. Quid vetat propria nauticæ rei vocabula, veſtiariæ, bellicæ, domeſticæ, puerulis ſenſim cognoſcenda ſubjicere; unde copia, & ubertas latini ſermonis efflóreſcat? epiſtolam ſuis conſtantem partibus, aut narrationem texere? ſic ad eloquentiam ſternitur via. Neque hoc impediet tamen, quominus magiſter difficultatem aliquam & grammaticæ nodum in Schola explicatum proponat in ſcriptionis argumento, & per dies aliquot continenter inculcet. imo per quam utiliter fiet, ut quæ in explicando poeta, vel oratore, aut hiſtorico, fuerint annotata, præſertim ſi difficultatem habeant majorem, in ipſum thema conferantur. hinc enim exiſtet alacritas major diſcipulorum ad auctoris explanationem audiendam, & ad ſcribendum facilitas, cui ſedulo conſulendum, ne deterriti difficultate adoleſcentes componendi laborem fugiant. Itaque ſcriptionis argumentum ſemper dictandum hora dimidia ante Scholæ finem, explicanda ejus materia, facultas danda, ut ſi quis quid parum intelligat, id proferat: vel potius intetrogandi ſponte tardiores, & nonnihil ſubminiſtrandum adjumenti; via quaſi digito commonſtranda, pro captu cujuſque Scholæ; rhetores enim eniti per ſeſe ad ſumma quæque debent; re-

liquis

liquis complanandum iter; ducendi quaſi manu, donec poſſint veſtigia ſecuri figere. Doceantur diſcipuli in Schola poeſeos, omnes carminum formas, epicorum, lyricorum, elegorum; neque ſemper epigrammata, vel odas ſcribant. Quicquid porro ſcribendum proponat magiſter, illud ſemper emendatum dictet; quod in ipſa quoque fieri poſſe rhetorica uſus comprobavit.

§. III.

De interpretatione vernacula, concertatione, &c.

POſt emendatam, dictatamque ſcriptionem auctor latinus in patrium ſermonem vertitur; vel concertatur. id alternis fieri, ſi temporis anguſtiæ, utrique pares exercitationi quotidie non ſunt, poteſt. In auctoris explicatione tria obſervabis; 1. proprietatem vernaculi ſermonis, & cum latino conſenſionem, ſi qua ſit; aut diſſenſionem; ut linguam alteram ex altera diſcipuli condiſcant. deinde proprietatem, & elegantiam ſermonis latini; denique notabis ſententias inſtituendis moribus, & judicio puerorum formando fingendoque aptas; expendes hominum conſilia, improborum pœnas, effata ſapientum. Pars aliqua hiſtorici vertenda in patrium ſermonem, detur aliquando pro ſcriptione, vel brevio-

Digitized by Google

viori themati, velut appendix adjungatur. Depugnent inter ſe de interpretatione, componant eo ſcribendi genere pro locis, itemque ſub anni finem pro præmiis. Ita nihilominus auctori explicando ſerviatur, ut ne totæ Scholæ tribuantur huic interpretationi; quod negligentiores magiſtri factitant, quia laborem ſcilicet explicandæ prælectionis, & thematis corrigendi fugiunt.

Dum concertant de præceptis Grammaticæ, poeſeos, aut eloquentię, unus opponatur multis, vel plures pluribus: præfiniatur argumentum concertationis, tempus, & modus: arbitri & judices conſtituantur, pręmia victoribus, pœnæ victis imponantur. ceteri fructum quem è concertatione perceperint ſcripto mandatum exhibeant, vel interrogati repræſentent.

Inſtitui poterunt illę concertationes cum aliquo apparatu: evocati pugiles ex inferiore Schola committentur cum diſcipulis Scholæ ſuperioris; veterani cum recentioribus, &c. Exeunte anno publicæ concertationes in collegiis aliquibus habentur majori cum pompa: explicantur auctores accommodati ſingulis Scholis, frequenti eruditorum, & procerum conſeſſu, libellis etiam promulgatis, ubi pugnantium nomina, et materia certaminis declarantur. Laudari ſatis nequeunt omnia, & frequentari, unde celebritas, & ſplendor conciliari litteris noſtris poteſt, quæ

ſine

ſine aliqua commendatione in vulgus et pompa, jacent, & ab ipſis pueris contemnuntur. modus tamen adhibeatur, neque comædiis, aut aliis id genus operoſis ludis, licet eruditis, magiſter nimium indulgeat; ne, dum auræ populari ſervit, Scholam negligentius gerat.

Solent alicubi ſingulis horis, aut ſępius etiam, caput aperire adoleſcentes, & Salutationem angelicam taciti recitare: captabit hujus temporis oportunitatem præceptor, ut piam ipſis cogitationem ſubjiciat; vocem aliquam explicet ex Evangelio depromptam, aut Sanctis Patribus; Deum pręſentem illis revocet in memoriam; ut colligat ipſe ſe ſe, animumque brevi precatione reficiat.

Statim atque domum è Schola ſe receperit, Deo per Chriſtum, quem in æde Sacra viſet, gratias agat: diſcipulorum ſcriptiones obiter excutiat; qui abſint, qui redierint, expendat; ſcriptionem ſequenti die dictandam adornet, auctorem explicandum, & alia quæ uſus tempuſque poſtulabit: ſi quis diſcipulorum gravius contra modeſtiam, aut officii partem aliam peccaverit, obſervet, ac ſimul proſpiciat quid remedii adhibendum, ne malum ingraveſcat morâ. Die vero Dominica ſuorum alumnorum indicem attentè, ſeduloque perlegat: univerſos Chriſto, Virginique commendet. animadvertat quinam privatim & quando monendi ſint, cohortandi,

di, vel increpandi; num agendum cum eorum parentibus, aut pędagogis; num quę litterę idcirco ſcribendę. Eodem die doctrinę Chriſtianę explicationem proximè habendam in Schola comparet, ac reliquam ludi litterarii pro tota hebdomada ſupellectilem inſtruat. Recognoſcat etiam quid ſuperiori hebdomada peccatum a ſe fuerit, & quo ſit emendandum modo conſideret: percurrat regulas, ſi quas Scholę ſuę proprias habeat, &c.

ARTICULUS IV.

MODUS EXPLICANDÆ PRAELECTIONIS.

§. I.

Prælectio quemadmodū Rhetoribus exponenda. Locus M. Tullii Ciceronis explicatur.

EXemplum pono in Schola cęterarum principe, Rhetorica, & ſumo exordium ſecundę Philippicę, ab his verbis, *Quonam meo fato, &c.* uſque ad eas voces, *cui priuſquam*. Facio illas quinque partes, de quibus §. II. ſecundę partis, art. 3. dixi, quarum prima eſt argumentum, & omnium breviſſima.

I. Ar-

Digitized by Google

I. *Argumentum.* Cùm Philippicam primam dixiſſet Cicero, in eum paucis poſt diebus invectus eſt M. Antonius: illi hac ſecunda Philippicâ Tullius reſpondet: oſtenditque oratione tota ſe injuria fuiſſe reprehenſum ab Antonio: ipſum vero propter graviſſima flagitia merito eſſe reprehendendum.

Ea pars orationis quam explicamus, exordium eſt, in quo profitetur ſibi ſuſceptas fuiſſe cum multis inimicitias: M. vero Antonium ceteris ſuis inimicis eo atrociorem ac dementiorem eſſe, quòd eum ipſe ne verbo quidem unquam violaverit. Hanc odii tam iniqui cauſam affert, quòd Antonius non exiſtimaverit probari poſſe commodiùs, ſe hoſtem eſſe patriæ, quam ſi eſſet Tullio inimicus. Sic auditores præparat ad reliquam orationem, quod exordii munus eſt, afferendo cauſas honeſtiſſimas cur Antonium reprehendat, a quo fuerit immerito reprehenſus, & qui cum gerat inimicitias reipublicæ causâ.

Vides tria hîc enumerari breviter, quibus exordii ſumma continetur. Tot enim debent fieri partes argumenti, quot ſunt præcipuæ ejus loci, qui explicatur, ſententiæ.

II. *Explanatio*, eſt ſecunda pars explicandæ prælectionis 1. Hanc ſubjicio. In Rhetorica ornatior eſſe debet ac uberior. *Quonam meo fato fieri dicam.* Poteſt eſſe duplex hujus commatis ſententia: hæc prior: Adeò ne me infelici fato natum eſſe, ut in me unum ea

tela

tela omnia fuerint conjecta, quibus rempublicam ejus hoſtes vulnerare conati ſunt! Poſterior, iſta: Quàm felix & invidenda ſors mea eſt, quod mecum bellum ſibi gerendum eſſe putaverint quicumque bellum reipublicæ indixerunt! Utraque explanatio ad conciliandos animos idonea, eoſque vel amore, vel commiſeratione afficiendos. *His annis* 20. Ex quo nempe conſulatum geſſi; incidit ille in annum 690. ab Urbe condita. *Nec vero neceſſe eſt a me quemquam nominari vobiſcum ipſi recordamini*. Catilinas ſcilicet, Clodios, Piſones, Gabinios, &c. *Mihi pœnarum illi plus quam optarem dederunt*. Eos ulta reſpublica gravius eſt, quàm ipſe poſtulaſſem: gravioribus illi ſuppliciis ſua in me odia conatuſque nefarios luerunt, quàm erat humanitatis meę, lenitatiſque, poſtulare. *Te miror, Antoni, quorum facta imiteris, eorum exitus non perhorreſcere*. *Quorum facta imitere*. Qui eorum in me vim, odium, ſcelera imiteris. *Exitus*. Decreta in eos à Senatu facta, plena ignominiæ; mortem luctuoſam ac feralem, &c. *Atque hoc in aliis minus mirabar*. Nempe indictum mihi ab iis bellum fuiſſe, denunciatas inimicitias, palam & apertè geſtas. *Nemo illorum mihi inimicus fuit voluntarius*. Ultro, ſua voluntate, animi quaſi gratià, ut interdum fit, ſeu naturæ, indoliſque vitio, ſeu ſpe utilitatis alicujus. *Laceſſiti omnes a me*. Cum eorum detexi ſcelera, improbitatem agitavi,

conſilia reipublicæ funeſta diſturbavi. *Tu ne verbo quidem violatus:* aliquo duriore verbo appellatus. *Tuam a me alienationem, commendationem tibi ad impios cives fore putaviſti.* Ordo eſt: Putaviſti alienationem à me tuam, fore tibi commendationem gloriæ ad impios cives. Arbitratus es gloriam tuam apud improbos auctum iri vehementer, ſi te, à me alienum, mihi infenſum eſſe, præ te tuliſſes: tanto te illis gratiorem futurum, quantò mihi eſſes infenſior. *Quid putem?* At quam tandem iſtius tui in me odii cauſam eſſe putem? *Contemptumne me?* Num Antonium mei contemptu ad inimicitias odiumque profitendum adductum fuiſſe putandum eſt? *An decertare mecum voluit contentione dicendi.* An venire mecum voluit in ſingulare quoddam certamen, in quo de eloquentia dimicaremus; & experiri, uter utro eſſet in dicendo melior? Hujuſmodi explanationis formam et exempla ſi quæris; habes in Patribus Abramo, & Lacerda, qui in exponendo, & enucleando hic Virgilio, ille Tullio, eximii ſunt.

III. *Rhetorica*, ſive obſervatio earum rerum quæ ad eloquentiam in prima Schola; in ſecunda, ad Poëſim; in tertia, ad Grammaticam; in reliquis ad Syntaxim, & ſtructuram orationis, pertinent; tertia pars eſt explicandæ prælectionis. Eam ſic inſtituo.

Cùm in Exordio nobiliſſimæ orationis verſemur, Exordiumque aliud nihil ſit, quàm pri-

prima pars orationis, auditorem præparans ad audiendum, ejuſque benevolentiam, attentionem, ac docilitatem captans: juvat, ea quemadmodum hîc a Cicerone fiant, obſervare.

Benevolentiæ conciliandæ triplex via eſt. 1. Si probos mores & homine bene inſtituto dignos orator oſtendat: ſi quid in ſuam afferat laudem, at parcè & modeſtè. 2. Si ſe auditorum rationibus conſulere ſignificet. 3. Si adverſarios in odium contemptumque callidè vocet. Primum præſtat Cicero, ſuam lenitatem demonſtrando, & indolem ab ulciſcendi cupiditate alienam: item, negando quidquam eſſe in vita ſua, & rebus geſtis, quod reprehendi & contemni poſſit; Senatûs judicium de ſuo conſulatu, teſtimoniumque prædicando. Alterum præſtat, dum affirmat, neminem hoſtem reip. fuiſſe qui ſibi non fuerit inimicus. Tertium, impotentiam Antonii, odium patriæ, ejuſdem cum improbis familiaritatem, perſtringendo.

Attentionem conciliat rei & cauſę magnitudine, dum ait ſibi cum hoſte reip. contentionem eſſe ſuſceptam; nihil ſibi promptius, nihil uberius eſſe, quàm contra Antonium dicere, &c.

Docilitatem, indicando quid dicturus ſit, nimirum pro ſe pauca; multa contra Antonium: quod ſubinde diſtinctiùs pronunciat. Poſſet aliquis explicare fuſiùs, quare tria iſta

Digitized by Google

exordii cujuſlibet munera ſint : nempè cùm tres animi facultates præcipui numerentur, prima intelligendi, ſecunda recordandi; tertia volendi; mentem attentione quaſi teneri; memoriam docilitate; benevolentiâ voluntatem. Afferret etiam exempla bonorum exordiorum, vitia malorum & errata ſubjiceret obiter : niſi forte ſatius fuerit iſta explicationi præceptorum reſervare,

Pertinet quoque ad Rhetoricam ſubjectio, quæ in hæc incipit verba : *Quid putem?* Docendum quęnam hęc figura ſit, quis illius uſus, quis locus, quis modus. Appoſitis exemplis illuſtranda Gręcis & latinis. Quæ omnia Magiſter ſedulus ex inſtitutionibus Fabii, è Voſſii Rhetorica, è Palatio eloquentiæ petet.

IV. *Eruditio*. Pars quarta explicationis eſt. Quæ fuerit huic voci *Fato*, quæ ſtatim occurrit, ſubjecta notio apud ethnicos; quęnam ſit apud Chriſtianos, expones : *His viginti annis*. Proferes annum in quem incidunt, natalis Ciceronis, Conſulatus, mors. *Bellum indixerit*. Quomodo bellum indici à Romanis ſoleret, quæres apud Roſinum, Abramum, aut Cantellum. Offeret tibi occaſionem ea vox, *maledictis*, ediſſerendi quid ſit diſcriminis inter maledictum, convicium, & contumeliam. Ex illa vero ſententia : *Mihi pœnarum illi pluſquam optarem dederunt*, exiſtet locus egregius agendi de ultione, quàm

Digitized by Google

quàm ſit indigna viro probo &c. Silvam tibi ſuggeret Juvenalis Sat. xiii. Eam augebunt Eraſmi adagia, Polyanthea, Philologi: Depromes in eam rem aliquid è Chriſtianę diſciplinę, hiſtorięque, penu.

V. *Latinitas*. Ultima pars eſt explicandæ pręlectionis. Excuties iſtam locutionem metaphoricam, *bellum mihi indixerit*. Addes reconditas quaſdam ſignificationes hujus verbi, & affinium vocum, ſi lubet; quę fuerint indictiva funera, & ferię docebis. *Perhorreſcere*. Quę ſit vis ad eloquentiam vocum compoſitarum exemplis aliquot confirmabis. *Verbo violatus*. Cadunt in eam vocem iſta bene latina, corpus violare vulnere, ebur oſtro; fidem, fœdus, jura, Sacra. Ceteras quæ in his pauculis verſiculis occurrunt voces parco aſcribere.

§. II.

Alterum exemplum in loco Virgiliano proponitur.

ALterum pręlectionis explicandę in Rhetorica, exemplum pono, petitum è Maronis libro XII. verſu 425. *Arma citi properate viro, &c.* uſque ad verſum 440.

I. *Argumentum*. Æneas, accepto in pugna vulnere, pręter omnium ſpem repente ſanatus fuerat, infuſo clam à Venere in pel-

Digitized by Google

vim, cum vulnus lavaretur, dictamo: Attonitus rei novitate medicus exclamat; Æneas ipſe raptim arma induit; & antequam pugnam repetat, filium deoſculatur, ac paterna & heroica oratione breviter compellat.

II. *Explanatio*. *Arma citi*, &c. alloquitur Japis medicus eos, qui circumſtabant Æneam, duces, admiratione, ut apparet, defixos. Quid vos verò hic ceſſatis? quin propere arma Æneæ affertis, quin illum pugnæ redditis? *Non hæc humanis opibus, proveniunt*. Iſta miracula; hęc ſanitas tibi pręter omnium opinionem, reſtituta, non humanis viribus, aut uſitatis, quę docet ars medica, remediis, effecta eſt. *Major agit Deus*. Major aliquis Deus arte & naturâ fortior, hæc agit, tibi vitam ac ſanitatem reſtituit. Non explicat quis ille ſit: fortè Apollinem intelligi vult, artis medicæ præſidem: forte Venerem innuit: quam favere filio & adeſſe non dubitat, *Opera ad majora remittit*: ad victoriam, ad Italiam obtinendam. *Ille*. Æneas. *ſuras incluſerat auro*, crura ocreis auro pictis jam induerat, dum hęc medicus loqueretur; tanta erat pugnę aviditas. Sura propriè eſt pars cruris poſterior & averſa, infra poplitem; ut tibia, ejuſdem cruris pars eſt anterior, & adverſa, infra genu. *Hinc atque hinc*. Crus utrumque, dextrum & ſiniſtrum, notat, ocreâ ſuâ incluſum. *Odit moras*. Abrumpi moras omnes jubet: vel minimam interponi

mo-

moram ægerrimè patitur. *Haſtam coruſcat.* Vibrat, quaſsátque, quaſi jam prȩludens pugnæ; & illam in hoſtem, velut prȩſentem, intentat, collineatque, uti ſolēt qui geſtiunt pugnare. *Poſtquam habilis lateri clypeus.* Poſtquam clypeus inſertum fuit in brachium læ-vum; vel quibuſdam loris ex humero ſiniſtro ita ſuſpenſus, ut commodè adhæreret lateri, ac tractari facilè, & expeditè ſumi poſſet. *Habilis* res dicitur quæ moveri, tractari, haberi, commodè poteſt: ut *inhabilis* ea, qua quis uti expeditè nequit. *loricáque tergo eſt.* Poſtquam lorica tergo habilis ſedit. Loricæ porro pars duplex eſt; altera pectus, tergum altera tegit: hanc nominavit Solam, alteram facile intelligendam ratus. Poſtquam igitur arma omnia fuerunt apparata, & decenter corpori hærentia, iis ita veſtitus, ac totus ferro horrens, Aſcanium complectitur *fuſis circum armis* brachiis ſcilicet, quæ ferreo tegmine erant induta, quæ haſtam & clypeum retinebant, circumfuſis, & puero circumdatis. Pulcrè, & ut virum bellatorem decebat. *Summaque*, &c. & per galeam, id eſt per galeȩ bucculam patentem, leviter oſculans filium. *Summa oſcula* ſunt obiter & ſtrictim data, non ore pleno, in ſumma, v. g. fronte; ita pater debuit, & heros minimè blandiri amans, ita duntaxat potuit galeà indutus, ita tempus ipſum & occaſio feſtinationis plena, ſivit. *Diſce puer virtutem ex me.*

O Fili (puerum vocat cum dignitate quadam) diſce veras ex me virtutes , prudentiam , fortitudinem , pietatem , &c. Ita gloriari licet patri apud filium . *Et laborem* bellicum ſcilicet , *verum* , quem tu ipſe ſumas , quo vera gloria quęritur ; non umbratilem & intra parietes , ſed in acie , campoque ſuſceptum . *Fortunam ex aliis* . Alii te imperatores fortunam & felicitatem ſanè doceant : ſumas ab illis , per me licet , exempla felicitatis ; ego unius tibi virtutis auctor & exemplum eſſe volo . Pręclarè , virtus enim una , ſolidum & perenne bonum eſt ; felicitas, umbra & veſtigium boni : hęc in caſu poſita ; illa in nobis : hęc prędicandos ab aliis ; licet id interdum minimè promeritos : illa bonos & beatos,etiam in medio contemptu & ignominia , facit . Hunc locum alii ſic explicant : Diſce ex me virtutem veram ; at ex aliis, v.g. Turno , quem brevi à me victum cęſumque aſpicies , diſce fortunę inconſtantiam , & levitatem : ut hanc timeas; illam ſequaris. Noſtra explicatio magis decet Æneam , & cum iis quæ poſtea ſequuntur magis cohęret.*Nunc te* . Quando laborem belli per te ipſe ferre propter ętatis imbecillitatem nondum potes : ego illum pro te , nunc ſumam : te defendam ab hoſte; viam tibi ad Italię regnum ſternam. *Defenſum dabit* , defendet . Sic latini dicunt effectum dabo , pro, efficiam ; inventum dabo ; inveniam . *Magna inter præmia ducet* .

Du-

Ducet ad fatalem terram poſſidendam, ad regnum Italię, quę erunt pręmia laborum meorum. itaque *inter* pro, *ad*, ibi ponitur, auctore Servio: vel, ſi vim hujus prępoſitionis retinere placet, *inter præmia* id erit, inter maximas victorias, inter hoſtium cladem, & Urbium excidia, quibus ſuperi meam fortitudinem remunerabunt, ducam te quaſi manu ad Italię regnum obtinendum. *Tu facito, &c.* Da operam ut *ſis memor* nempe meę virtutis, ac viæ per quam te deduxero. *Adoleverit ætas*, creverit, ſe corroboraverit atque confirmaverit. *Tuorum*, parentis & avi. *Avunculus Hector*. quia frater Creusæ, quę Aſcanii mater. *Excitet*. Ad imitandum: ad indulgendum pręclaro labori.

III. *Rhetorica*. Expendetur 1. Oratio medici: ejus exordium abruptum, & rei conveniens: ratio, qua Æneam & Socios accendit, nempe Deorum manifeſtus favor, unde omen futurę victoriæ certiſſimum. Ipſi te vocant superi, & affectum perficere bellum jubent, i perge. 2. Æneæ feſtinatio, quam verba ipſa mirè indicant: suras auro jam incluſerat, odit moras, delibat oſcula. 3. Verba quibus filium alloquitur, planè Heroe digna, digna Virgilio vate. Illuſtrari pars ea quoque poſſet comparatione Virgilii cum Homero, apud quem Hector, VI. Iliad. ad bellum gradiens, longa oratione cum filio juveniliter laſcivit, ac male cunctatur.

IV.

Digitized by Google

IV. *Eruditio*. *Major agit Deus*. Explica quinam majores, ſive majorum gentium Dii dicerentur; quinam minorum gentium. *Clypeus*. Expone varias clypeorum formas; diſcrimen inter parmam, peltam, ſcutum,&c. teſtudinem è clypeis componi ſolitam. *Fortunam ex aliis*. De fortuna dicendi locus eſſe poterit. *Exempla tuorum*. Quam ingens aperit ſe ſe campus dicendi de exemplo, quod pueris parentes offerre debent. Materia felix & eloquens a Juvenale poſtulabitur Sat. XIV., & ad mores informandos ipſa per ſe ducit: monebis diſcipulos quemadmodum uti parentum exemplis, ſive bonis, ſive pravis, debeant; quam in iſtis adhibere cautionem.

V. *Latinitas*. *Humanis opibus*. Opes, ea vox, favorem, præſidium, robur, conatum, ſæpe notat. Laudabis Horatium. *Non Priami domus perjura pugnaces Achivos Hectoreis opibus refringit*. Addes Virgilium variis locis. *Proveniunt*. Provenio eſt, ſuccedo; provehor: interdum, evenio; alias naſcor,gignor. *Agit*. Infinitus ſim ſi excutiam quæ in hac una vocula occurrunt: ſeliges quæ oratori, vel poëtę, pro tuæ Scholæ gradu erunt appoſita. *Summa*. Late quoque patet ea vox: nec minus erudita & recondita hęc, *adoleverit*.

In ſecunda, ſive Poeſeos & humanitatis claſſe idem teneri curſus, idem ordo ſervari debet: hoc unum intereſt, quod plus Poëticę tribuendum; abſtinendum à longiori circuitio-

tione, in explanandis ſententiis; ab oratoria etiam illa latinitate temperandum. Quod multo etiam magis eſt in tertia claſſe, quæ prima Grammaticæ a nonnullis vocatur, faciendum, ubi grammaticæ & elegantiæ ratio habenda major, & in regulis adhuc hærendum, quæ diſcipulis uſque ſunt inculcandæ.

In quarta & quinta Schola diſcrimen eſſe manifeſtius incipit: ibi littus Magiſter legit, nec in altum dare vela, niſi rarò, audet: opus illi duntaxat ſedulitate ac vigilantiâ, ne ad cautes quibus obſitum eſt littus, & ſalebras, adhæreſcat; ne victus tędio remittat laborem, & minima iſta perſequi negligat. Hæc autem ſedulitas, ut eſt operoſior, ita exempli magis eget. Illud hic deeſſe non patiar. Et quamvis exempla hæc puerilia & inepta ferè videantur, ita ſunt neceſſaria tamen, ut merito cenſeantur non omittenda. Rectè vel fabellam pueris explicare, artis opus & ſpecimen eſt.

§. III.

Modus prælectionis explicandæ in Scholis infimis Grammaticæ. Fabella exponitur.

EXplicanda ſit fabula Phædri ſexta libri I. *Perſonam tragicam forte Vulpes viderat: O quanta species, inquit, cerebrum non habet!* Ita illam infimæ Scholæ præceptor explicabit,

bit, ac vernaculè pueros alloquetur, qui nondum latinè, quæ dicuntur, audiunt, quamvis omnia latino ſermone ſint hic ſcripta.

I. *Argumentum*. Exponitur quid dixerit vulpes reperta larva. II. *Explanatio*. in duobus maximè conſiſtit. 1. in exponendo verborum ordine ac ſtructura orationis. 2. in vocum obſcuriorum expoſitione. Vulpes. huic voci vernacula vox ſubjungetur: verbi gratia, *una volpe* ſi explices Italicè: *un renard* ſi Gallicè, &c. viderat (vernacula dictio ſubjungetur) forte (vernacule reddetur) perſonam &c. Perſonam, hæc vox perſona ſignificat aliquando *una perſona*, *une perſonne*: aliquando, *un maſque*, *una maſchera*. ut adhibetur in Bacchanalibus, in choreis, in tragædiis, cum homines agnoſci, cum latêre, aut alieno videri vultu volunt: itaque additur ea vox *tragicam* ſimiliter aliæ voces patrio ſermone explicabuntur, neque id ſemel, ſed bis, terve, ſi opus fuerit.

III. *Grammatica*. Redibis ad verba ſingula, & uniuſcujuſque genus, declinationem, conjugationem, modos, tempora, &c. expones: verbi gratia *Vulpes* nomen ſubſtantivum eſt declinationis tertiæ, ut proles, clades, &c. ſemper exempla memineris afferre, & ea quidem nota pueris, quoad fieri poterit; deinde regulam proferre. *Viderat* eſt verbum in præterito pluſquam perfecto, in tertia perſona ſingularis numeri; Præſens,

Video,

Video, vides, videt. Secundæ conjugationis, ut doceo, doces, docet. Præteritum vidi, vidiſti, vidit; per regulam &c. eſt autem in tertia perſona, quia refertur ad *Vulpes* quod eſt nomen tertiæ perſonæ, per regulam, &c. Explicetur hæc regula, ſi eſt opus. Vulpes viderat forte, (repetes hic verba vernacula) *forte* eſt adverbium: eſt autem adverbium particula orationis &c. Quid viderat vulpes? [iterum vernacula repetantur, & interrogationes crebræ adhibeantur, valent enim ad aures menteſque feriendas) viderat perſonam tragicam: *Perſona* perſonæ, nomen eſt primæ declinationis, ut Muſa Muſæ: Quare perſonam non perſona? cur eſt in accuſandi caſu? quia præcedit verbum viderat, quod accuſativum ſibi poſtulat, addetur regula. Viderat vulpes perſonam tragicam. Tragicam eſt accuſativus fœminini generis, a nomine adjectivo, tragicus, tragica, tragicum, ut bonus, bona, bonum. quare eſt in accuſativo, in genere fæminino, in numero ſingulari? quia jungitur cum præcedente ſubſtantivo, nempe perſonam. Eſt autem ea lex & regula, ut quoties adjectivum additur ſubſtantivo nomini, &c. Peccareturque graviter ſi diceretur perſonam tragica, aut tragicas. quia &c. Reliquas voces ad eam normam explicabis.

IV. *Eruditio*. Quid vetat quominus dicatur vulpes animal eſſe totum ex fraudibus fallacif-

lacisque conflatum? quin hiſtoriola, ſi lubet, aliqua, non inſulſa, promatur; quin, paræmiola ſubjiciatur, *cum vulpe vulpinandum*, &c. Tragicam, ea vox occaſionem dabit explicandi, ut pueris convenit, quid ſit tragœdia, nempe, ſpectaculum aliquod in quo homines ſub aliena perſona, aliquam actionem repræſentant, in theatro. cerebrum ea vox præbebit occaſionem explicandi, & latinè ſuggerendi varias capitis partes. Sic diſcunt pueri.

V. *Latinitas*. Jube pueros animadvertere quemadmodum ordo. verborum mutetur, ut alia eleganter aliis præponantur. exemplum affer ſimile illi verſiculo quem explicas, ut enim Phædrus, Perſonam tragicam vulpes viderat: ſic tu dicas; fratrem tuum nuper videram (iſtis exemplis, quæ familiaria, & in manibus quaſi poſita ſunt, utendum sæpius cum puerulis) rectiùs, quam, videram tuum fratrem nuper. *Viderat* a video. Subjice alia verba, aſpicio v. g. intueor. *Perſonam*. doce adjectivum, perſonatus, perſonata amicitia, &c. Subjice Synonymam vocem, larva; larvatus. *Tragicam*, monebis interdum ea voce rem lamentabilem, & luctuoſum aliquod facinus ſignificari: Mors tragica, tragica cædes. Jam ſcriptio quę dictabitur, ſi ad exemplum hujus fabulæ compoſita fuerit, mirum quantum explicationi ſubſerviet. Ea ſic ſtrui poterit. Tuum fratrem doctiſſimum nuper

vide-

videbam: o quanta eruditio, dixi, mercedem non habet? poterit educi & erui ex hac fabella ſententia moralis: exempli cauſa. Quibus formam & divitias, natura dat, sępe communem ſenſum & prudentiam negat.

VI. *Mores*. Ipſa fabulæ clauſula, locum dat explicandi quantum præſtet ſenſus communis, & prudentia (pręſertim Chriſtiana, & Evangelica) fortunis omnibus, ac naturę dotibus, vel præſtantiſſimis: hoc narratiuncula quapiam pueris accommodata confirmari breviter poterit; quæ repetetur vernaculè, aut latinè ab uno vel altero è Scholæ proceribus.

§. IV.

Explicatur Ciceronis locus, pro Schola media Grammaticæ, quam alii quartam Scholam vocant.

ALiud pro Schola provectiore profero exemplum, ductum è Tullii dialogo de Senectute; ſumo hæc verba dialogi: *Nihil igitur afferunt* -- quæ proximè poſt ipſam partitionem leguntur: uſque ad hęc verba, niſi forte. *Nihil igitur afferunt qui in re gerenda verſari ſenectutem negant; ſimileſque ſunt, ut ſi qui gubernatorem in navigando agere nihil dicant, cum alii malos ſcandant, alii per foros curſent, alii ſentinam exhauriant: ille autem clavum*

vum tenens, ſedeat in puppi quietus. Non facit ea quæ juvenes; at vero multo majora & meliora facit: non enim viribus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, ſed conſilio, & auctoritate, & sententia; quibus non modo non orbari, ſed etiam augeri ſenectus ſolet.

I. *Argumentum*. Prima è quatuor cauſis, cur Senectus accuſetur, ea eſt quod avocet a rebus gerendis. hanc refellit Cicero, comparatione duplici, quę hodierna pręlectione continetur: comparatio prima petitur a navis gubernatore; altera, ab ipſa juventute. Idem facit ſenex in familia, aut in republica, quod gubernator in navi; multo etiam plura & meliora facit, quàm juventus ipſa. Igitur ſenectus otioſa non eſt, nec in gerendis rebus inutilis, atque ab iis avocanda. Hoc argumentum iſtius lectionis eſt. Argumentum in hac Schola vernaculè, et latinè explicandum, quod in prima Gramaticæ claſſe, totum latinè proponitur. Idem bis terve, aliis atque aliis verbis, iterandum eſt, ut cętera omnia.

II. *Explanatio*. *Nihil igitur afferunt*. Nihil probant, nihil evincunt, parum idoneis rationibus utuntur. (hęc in ſecunda gramaticę Schola partim latino, partim patrio ſermone ſunt exponenda] Ea porro vocula, *igitur*, indicat conjungi hanc ſententiam cum illis quę ſupra dicta ſunt. ita vero jungitur. Ex iis quę modo protuli, exemplis, patet eos nihil efficere, ac probare *qui in re geren-*

da

da verſari ſenectutem negant. qui exiſtimant ſenes nihil agere, non eſſe aptos negotiis. *Similesque ſunt*. iſti qui ſenes criminantur & accuſant otii nomine, ſimiles ſunt hominibus, qui dicerent gubernatorem in navi agere nihil, eo quod ipſe in puppi ſedeat quietus; alii ultro citroque curſitent. Gubernator idem eſt, ac magiſter & rector navis, alio modo nuncupatur navita, nauclerus, *un piloto*, *un nocchiero*. *Cum alii malos ſcandant*. ab ima parte malorum ad ſummam aſcendant. malus mali, truncus arboris eſt, qui in media navi erigitur, & ex quo pendent ligna quædam tranſverſa, quæ antennæ dicuntur, quibus antennis aſſuta ſunt vela. Scandunt autem nautæ malos, ut antennas torqueant, vela colligant &c. *alii per foros curſent*. alii crebro currant per foros. Fori ſunt ligna quædam tranſverſa in ipſa navi, & ſedilia, in quibus conſidunt remiges: alio vocabulo dicuntur tranſtra. *curſent* curſo, curſas, curſare, verbum eſt frequentativum; dicitur etiam curſito. *alii ſentinam exhauriant*. Sentina, eſt pars ima navis, in quam aqua marina, quæ per aſſerum rimulas ſubintrat, defluit, & unde identidem egeritur. *Ille autem* nempe gubernator navis. *clavum tenens*. clavus idem eſt atque gubernaculum: *in puppi*. puppis, eſt pars poſterior navis; cui adhæret gubernaculum: prora vero, pars anterior navis. *Non facit &c.* hæc pars altera eſt lectio-

 nis

nis in qua dicit senes majora et meliora quam juvenes facere. Proponitur quaſi objiciente adverſario. At enim, inquiet aliquis, *non facit* Senectus *ea quæ juvenes* faciunt? Reſpondet: Cicero, *at vero majora & meliora facit*. quaſi diceret: concedo, non facit ea quæ Juventus, ſed &c.

Satis hoc fuerit ad exemplum prodendum, unde, quo filo reliqua prælectio ſit pertexenda, facile apparebit.

III. *Eruditio*. Pauca de re nautica & navi proferri poſſunt; De modo Sententiæ in Senatu dicendæ &c.

IV. *Latinitas*. *nihil afferunt*. pro nihil probant: variæ ſignificationes verbi affero, explicentur. notanda iſta quoque *verſari in rebus gerendis nihil agere*, aliud agere, hoc agere. *curſent*. Explicaret Quintanus Præceptor quid ſit verbum frequentativum, unde formetur, & exempla ſubjiceret: ea omnia Quartanus refricabit. *ceſſare*. Quæ ſit vis propria hujus vocis exponet; alias ipſi affines accerſet; quales ſunt, feriari, otiari, &c., exemplis eaſdem illuſtrabit.

V. *Mores*. Solet vita cum navigatione comparari: item imperium: Reges clavum tenent. illis obtemperandum. Quam præclara vero hæc ſententia! *Res magnæ non geruntur viribus, ſed conſilio*. Quàm apte in ſcriptionem illigari poterit! aut exſcribi ab adoleſcentibus! Quod ſi conſilio res magnæ

gerun-

geruntur feliciter; quantò magis probitate ac virtute! Exempla peti poterunt ex hiſtoria recenti aut priſca, pro Scholæ captu.

ARTICULUS V.

QUAEDAM AD SCHOLAE REGIMEN SPECTANTIA.

STatuantur certi cenſores, & ſuum cuique munus attribuatur. Unus ſumat ſcriptiones in faſciculum collectas à decurionibus, & a quibus fuerint omiſſæ, moneat. idem abſentium nomina & redeuntium pronunciet: ac referat in libellum, ut quandiu abfuerint, conſtet. Ad abſentium parentes hoſpiteſve ſub Scholam excurrat famulus, cui verrendæ Scholæ commiſſa cura, & cauſam abſentiæ reſciat: idque ſæpius, ſi fuerit abſentia diuturnior, maximè ſi occupati morbo pueri ſint: hæc ſollicitudo mire parentes demeretur. Alter cenſor prælectionibus præeſt, emendat qui peccant inter recitandum, niſi ab æmulis id fieri ſatius videatur: notat in Schola quinam recitaverint, qui ſcriptionem, quo die, legerint; auctorem explicuerint, &c. colligit multas, ſive penſa extraordinaria.

Tertius cenſor curam eorum gerit, qui tardius ingrediuntur Scholam, & in proximo januæ loco ſedet. illorum ſcriptiones & poſtridie mulctas capit. idem cenſorum, decurio-

rionum , & Scholæ famuli, themata colligit.

Addi poteſt aliquis modeſtia & prudentia præſtans, qui palam in Scholis infimis, clam in Superioribus, obſervet garrulos,& tumultuantes: num quis ſociis moleſtus,dormitans, aliena ſcriptitans, lectitans libros inutiles, ſeu Vigiles dicere malueris, in ſingulis Scholæ, ſi numeroſa ſit, angulis collocari poterunt. Sui ſint vicarii cenſoribus, qui & eos juvent, dum aderunt, ſi opus fuerit; & illorum vices ac munus impleant, cum aberunt.

Decuriones ſuis quique ſcamnis apponantur, adjuncto prodecurione. Præfigant Scriptionum faſciculo Schedam in eaque deſcriptum ſuum, & ſui ordinis nomen: deinde menſis ipſius diem: tum nomina omnium qui ſuo in ſcamno ſedent: addant ſi quis omiſerit ſcriptionem, redjerit, abiit,libris careat &c. Mutandi ferè ſingulis menſibus decuriones, itemque cenſores; ſolent enim, dum aliis cavent, ſe ipſi negligere.

Ineunte anno conficiatur index accuratus omnium diſcipulorum,in eoque ſcribatur qua in regione urbis habitent; apud hoſpitem, an apud parentes; domi ſuæ, an alienæ. quis eorum curam gerat. In eum indicem referantur qui recens adſciſcuntur in Scholam, qui ab ea dimittuntur,aut deſciſcunt. Exemplum indicis iſtius unum ſit penes præceptorem; alterum penes Scholæ famulum: is ut peccata deponat ſingulis menſibus curabitur, ut ſcriptio-

ptionem quotidie afferat, ut ſacro cum ceteris interſit; ut eorum qui abſunt rationem, vel quotidie, vel proxima poſt dominicam, & vacationis diem, luce, reddat præceptori, & quidem ſcripto: abſentium itaque nomina ſumet a cenſore. Interdum Sphæriſteria, & publicas ludorum officinas luſtrabit, præſertim Scholæ tempore, niſi præſtet id fieri per adoleſcentem ſpectatæ fidei. Comitabitur etiam illos qui veniam exeundi Schola petunt, nec ab iis, donec redierint, abſcedet. Si quid peccent iſti famuli, mulctabuntur detracta parte pecuniæ, quæ ipſis pro ſtipendio menſtruo penditur.

Cum ad obeundam declamationem, aut tragœdiam pueri exercentur, geſtuſque & vocis leges docentur; cavendum ne omnes facilè in unum ſimul vocentur locum: ſi tamen id erit neceſſe, certa unicuique ſedes aſſignabitur, a qua non ſe commoveat, niſi cum in ſcenam prodibit: nefas ſit illis inter ſe tum colloqui; multo vero minus vociferari, pulſare, &c. ipſe præceptor gravitatis et modeſtiæ meminerit, loquatur latinè, ac paucis; nec diutius quemquam diſtineat, quàm ſit opus: aliter ingens fiet ſtudiorum, temporiſque jactura.

ARTICULUS VI.

DE PUERORUM PAEDAGOGIS.

PÆdagogus, adjutor præceptoris eſt, idemque pueri quaſi magiſter domeſticus. Itaque præſtare duo debet, primum præceptori venire quaſi ſubſidio: deinde puerum ſuę curę traditum domi bonis moribus, ac litteris erudire. Quoniam autem ex iis plerique nos conſulunt, ac rogant quonam pacto ſuas obire partes debeant, non erit inutile, quod ſit illorum munus paulo diſtinctius explicare: nec obeſſe pueris parum poſſunt, ſi ſe aliter, ac par eſt, gerant.

Pręceptorem adjuvabit pędagogus, ſi operam det, ut adoleſcens ſibi commiſſus penſum litterarium toti Scholæ impoſitum accûret domi diligenter. eam ob rem cum primum è ludo refert ſe domum, rationem auditæ & explicatæ lectionis ab eo repetet, dictatam & emendatam ſcriptionem cum eo leget, ac ſi quid occurrat difficilius, explicabit: argumentum etiam ſcriptionis poſtridie afferendæ, ſi ſit opus, explanabit; & ſi quid intricatum, extricabit. emendabit illam ipſam, compoſitam a puero; id ſi fiet ante, quam ineat litterarium ludum puer, pædagogus digitum duntaxat intendet ad fontes errati cujuſlibet, ejuſque cauſam & originem puero deteget; id enim profectus caput eſt:

ita

ita ut emendare delictum ſuo marte puer poſſit . Si poſt Scholam emendabitur eadem scriptio , errata uberius aperientur . Si quid ab iſtis exercitationibus quotidianis vacabit otii , collocabitur in legendo , interpretandoque auctore aliquo latino , in tradendis adoleſcenti hiſtoriæ . & geographiæ elementis , in explicandis morum pręceptis , ut erit alumni ætas : eáque omnia ex arbitrio pręceptoris , ut plurimum , ac mente , inſtituentur , quem ea de cauſa identidem convenire pædagogus debebit.

Vehementer illud pædagogis commendandum , ut ſuos alumnos deducant in Scholam, & domum ab ea reducant : ut caveant ne ſe ad quempiam improbum ſodalem applicent , ne concurſationibus & ludis intempeſtivis otium terant , ne ſoli facilè verſentur ubivis, maxime ubi juvenum concurſus fit , ludi cauſa : ne rem Divinam iis diebus quibus Scholę vacabunt,omittant ; ut quotidie librum pium vel clara voce , vel taciti per quadrantem horæ volvant ; ut norint orandi , confitendi , veſcendi Chriſto , modum : ut ne ignorent etiam quæ pertinent ad urbanitatem , ad obſervantiam erga parentes , obſequium in magiſtros , humanitatem & comitatem adverſus omnes ; ad ſalutandi , audiendi , loquendi , tacendique rationem , ingenuis adoleſcentibus dignam .

Digitized by Google

ARTICULUS VII.

LIBRI SINGULIS IN SCHOLIS PRAELEGENDI.

IN Rhetorica legentur ſelectę Ciceronis orationes, Plinii Panegyricus aut Pacati: Titus Livius, Cornelius Tacitus, Velleius Paterculus, Valerius Maximus, Suetonius, Virgilius, Horatius, Seneca tragœdus, Claudianus, Juvenalis, Perſius, & Martialis. Habeantur iſti poetæ repurgati ab omni obſcenitate; ceteri procul arceantur Scholarum peſtes & venena. Gręci auctores explicabuntur Demoſthenes, Luciani quędam opuſcula, ut Contemplantes, Timon, Somnium, Toxaris. Plutarchi vitæ & opuſcula, Herodianus, Homerus, Sophocles, aut Euripides.

In Schola humanitatis, ſive Poeſeos, Iſocrates, Luciani dialogi mortuorum ſelecti, judicium vocalium, &c. Theophraſti Characteres, Homeri hymni, Batrachomyomachia. Cicero de natura Deorum, Quęſtiones Tuſculanę, Paradoxa, ejuſdem breviores orationes, & faciliores, exempli cauſa, pro M. Marcello, pro Archia poëta, in Catilinam, poſt reditum. de hiſtoricis Cæſar, Salluſtius, Florus. de poetis, Virgilius, Horatii odæ, & Ars poetica, Ovidii epiſtolæ ſelectę.

In Tertia Schola, quæ a nonnullis prima Grammaticę vocatur: Orationes Iſocratis ad

Ni-

Nicoclem & Demonîcum : Chryſoſtomi, aut Baſilii homiliȩ ſelectȩ : Ciceronis dialogi de amicitia & ſenectute, libri de officiis. Virgilii Æneidos liber V. VII. IX. Ovidii Metamorphoſes expurgatȩ, de Triſtibus, & de Ponto. Q. Curtius, Juſtinus, Cȩſar.

In quarta Schola, ſive ſecunda Grammaticȩ, Fabulȩ Æſopi, Epictetus, Ceberis tabula, Chryſoſtomus, Ciceronis epiſtolȩ ad Q. fratrem, ſomnium Scipionis, &c. Virgilii Georgica, maximè liber I. & IV. Ovidii Metamorphoſes aliquȩ, vel epiſtolȩ : Aurelius Victor, Eutropius.

In quinta Schola Ciceronis epiſtolȩ longiores aliquot ac difficiliores. Virgilii Bucolica, Sententiȩ Ovidii ſelectȩ, & aliorum poetarum. Æſopi quȩdam fabellȩ.

In ultima Schola, quȩ interdum cum ſuperiori jungitur, epiſtolæ faciliores Ciceronis, Phȩdri fabulȩ, Catonis diſticha, Stobȩi ſententiæ.

ARTICULUS VIII.

DE RHETORUM SCHOLA DOMESTICA

EXacto tirocinio ſolenne eſt quibuſdam in provinciis Societatis, ut noſtri Scholaſtici, quos vocamus, recolant privatim litteras humaniores, ac pręſertim artem dicendi exerceant. Cum tanti momenti annus ille ſit, elaborandum eſt ut quam utiliſſimè tranſigatur.

Primus magiſtri labor erit latinum ſtilum illis optimum, poeticum juxta,& oratorium, & demonſtrare, & ut aſſequantur adjuvare. quamobrem ſemel, iterumve per hebdomadam vernaculum ſermonem convertant in latinum, locos Ciceronianos imitentur, & adſimilia vel diverſa transferant argumenta, uti Parte I. num. *6*. docuimus. Itaque in explicandis auctoribus non conſectetur operoſè magiſter variam eruditionem, ſed quæ ad poliendum ſtilum pertinent, maxime obſervet. Detur, uti fit in externorum Scholis, memoriter aliquid ediſcendum quotidie ex auctore tum Græco, tum Latino; poterit id recitari, paulo antequam præceptor Scholam ſubeat. Erit hic autem Scholæ ordo. Primæ horæ pars dimidia ponatur in explicanda mane Ciceronis oratione, ſero Virgilii libro vel Horatii. Explicationem unus aliquis diſcipulorum repetet, quam lectiſſimis verbis

pote-

poterit. pomeridianis horis explanatio auctoris Latini, & Græci fiat alternis diebus: ita ut uno die Virgilius, & Horatius poſt Paſcha; altero, Græcus orator, v. g. Iſocrates ante Paſchales ferias: poeta, nempe Homerus, poſt eaſdem explanetur: grammatica Græca ſingulis diebus explicari poterit.

Pars altera dimidia prioris horæ collocabitur in emendanda ſcriptione quam omnes deſcriptam afferent, & accipient emendatam. poterit in iis scriptionibus aliquid vernaculum proponi quod in ſermonem latinum convertatur ſemel per hebdomadam. Matutinis horis afferetur in Scholam quotidie ſcriptio ſolutæ orationis: ſerotinis vero ſcriptio tum latina ſtricta, tum ſoluta Græca; ſed alternis diebus.

Poſterioris horæ pars dimidia partim in corrigenda ſcriptione [nam in eo præcipuus ut fructus, ita labor eſſe debet] partim in argumento scriptionis dictando inſumetur. Juvabit aliquando ſcriptiones uni alicui tradere, qui earum criticen exerceat, ac ſuam de unaquaque ſententiam dicat. pars altera variis exercitationibus ducetur, quas ſubtexo.

Legi poterit locus aliquis præclarus Ciceronis, aut Virgilii; imo carmen aliquod a recentiori poeta compoſitum, vel oratio, vel aliqua lucubratio alia. oſtendetur quid in iis rectè, quid mendosè ſcriptum ſit: hac enim animadverſione maxime comparatur

facul-

facultas rectè judicandi. Audietur alumnorum aliquis orationem Tullianam explanans, ejuſque Synopſim repræſentans. Hiſtoricus in patrium ſermonem vertetur. tradetur modus componendæ, & coagmentandæ epiſtolæ, orationis, declamationis, ænigmatis, concionis, poematis Epici, vel Dramatici: charta Geographica ſubjicietur oculis: Hiſtoriç pars aliqua exponetur, vel a prçceptore, vel a diſcipulis ipſis. docebitur etiam ars bene pronunciandi, & nonnihil interdum ad ſpecimen quiſpiam recitabit. Breve ſcribendi argumentum, ut epigramma, locus e Virgilio, Tulliove imitandus proponetur, &c. quo tempore nonnullorum, prçſertim tenujorum, ſcriptiones privatim expendere magiſter poterit. nam ut abeat tota in ſcribendo Schola, niſi forte ſemel per menſem, vix operæ pretium eſt, cum profectus Scholæ potiſſimum in audiendo, exercendoque ſtylo conſiſtat, ſatiſque ſit privati ad ſcribendum, otii. *

Habeant ſinguli alumni maturè argumentum alicujus oratiunculæ, necnon poematis, quod elaborent per otium. Ejuſmodi orationes a ſe ſcriptas, & carmina declamabunt in triclinio collegii, vel in ſua Schola, vocatis Patribus, celebritatis cauſa & frequentiæ.

De-

---

* *Vide quæ dicta ſunt de modo inſtituendæ academiæ: Parte II. cap. II. art. 2.*

Declamationem aliquam vel drama, peritioribus licebit componere, ac fortaſſis etiam exhibere: lectionem, loco præceptoris interdum explicent in Schola, & ad varias, quæ uſuveniunt in Scholarum adminiſtratione exercitationes, fingantur.

Rationem reddant pariter Græci auctoris, quem privato ſtudio excuſſerint; vel etiam, ſi lubet, poetæ, aut libri alterius, ipſis aſſignati; nam aliis, quam ſibi preſcriptis ne utantur, cautio erit. item ut latine ſemper loquantur, preterquam iis temporibus, quæ animis relaxandis ſecundum prandium & cænam tribuuntur.

CAPUT III.

PRÆCIPUA QUÆDAM BENE DOCENDI PRÆSIDIA.

ARTICULUS I.

DE AUCTORITATE PRAECEPTORIS.

EST auctoritas vis quædam prçcipiendi, vetandi, gubernandi. Ea vel habetur jure, vel induſtria comparatur: nec ſatis vulgò eſt, ut eam jus tribuat, niſi adjuvet ſolertia. Illam religioſo prçceptori tria maxime conciliant,

1. Si operam det ut magni a diſcipulis fiat. Hoc autem opinione pietatis, ac eruditionis conſequetur. Talem ſe præbeat ut idoneus merito exiſtimetur, quem audiant; apprime teneat quç docere debet, paratus in Scholam & meditatus ſemper veniat, quamvis id minime appareat; nihil non elaboratum & elimatum afferat. Caveat etiam ne quid coram illis peccet impotentia, ſcurrilitate, arrogantia, levitate, aut alia qualibet animi perturbatione, quç anſam contemptus dare merito poſſit. Pietatem religioſo viro dignam ubique prç ſe ferat, ac mentem rerum cœleſtium intimo ſenſu guſtuque; humanarum vero deſpi-

ſpicientia, penitus imbutam: nec ea re tamen ſibi placeat, aut inanem plauſum captet, memor illius Chriſti ſententię: *Videant opera veſtrą bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in Cœlis eſt.*

II. Si curet ut ab iiſdem ſuis diſcipulis ametur. amabunt autem, ſi profectus ſui cupidum videbunt; ſi moderatum & irę compotem; ſi minime ſuſpicacem ac male credulum; ſi tàm comem & humanum privatim, quàm ſerium, & gravem publicè; ſi ęquabilem, & ſemper conſtantem ſibi; ſi æquum omnibus, neque amiciorem quibuſdam & plus nimio familiarem; ſi parcum in puniendo, neque tàm odio adductum ad ſumendas pœnas, quàm amore & neceſſitate compulſum: in quo conveniet juſtas remittendę, vel minuendę pœnæ cauſas libenter admittere. plus interdum ad emendandam culpam pręſertim occultam proficias, condonando pœnam privatim confitenti reo, quam ſumendo, cum id fieri ſine detrimento poteſt.

Porro in pœnis infligendis, pręſertim gravioribus, providendum eſt, ut id ſine arbitris nunquam fiat: deinde, ut digna plagis culpa ſubſit. Incredibile enim dictu eſt quàm acerbè urant, quàm vix ac ne vix quidem obliterentur plagę, ſive falſam, ſive imparem ob noxam, impoſitę: certa ſit igitur atque explorata culpa, & ſi fieri poteſt, nocens eam agnoſcat, fateaturque. Si explorata non

eſt

eſt, pœnæ modus, pro ipſius dubitationis ac ſuſpicionis modo ſtatuatur. Abſit ira in ple-ctendo; abſit arrogantia, & quædam oſten-tatio, quibus nihil eſt odioſius: abſint con-tumeliæ, & indecóra vocabula; quæ pueris interdum pro cognominibus adhæreſcunt: ni-hil erumpat quod patriam, quod genus, quod vitia, ſi qua inſunt, corporis & naturę, per-ſtringat; deſcribatur tantum culpa, oſtenda-tur ejus indignitas, damna enumerentur; ad-dantur aliquando minæ, ſed lenitate clemen-tiáque temperentur: denique ratio emendan-di errati aperiatur, ut ne ſit juſtæ Fabii que-relæ locus; Pueros non facere quæ recta ſunt doceri; ſed cur non fecerint, puniri. Valeat etiam Tulliana vox; *Illud ipſum*, inquit libro I. de Off. *quod acerbitatis habet objurgatio ſi-gnificandum eſt ipſius cauſa, qui objurgetur, ſu-ſceptum eſſe*. Ne cuiquam certum ſupplicium affirmatè præceptor minitetur, ac denunciet, aut contra negantem altercetur, inſiſtatque ſupplicium ejuſmodi affirmare. Suboriuntur enim non raro cauſæ, quare omittenda pœna ſit, periculumque eſt ne coactus cedere ma-giſter vel deprecationi parentum & auctori-tati, vel majorum imperio, ſuas minas ina-nes fuiſſe doleat. Minarum & pœnarum lo-co ſæpe ſunt exponendæ grandioribus utilita-tes litterarum ac voluptates, quam ſolidę ſint, quàm diuturnæ, quantum ad famam & fru-ctum conſequentis ætatis valeant, &c.

Amo-

Digitized by Google

Amorem quoque diſcipulorum provocat ea cura, quam geret magiſter, omnium rerum, quæ ad ipſorum pertinent valetudinem, famam, eruditionem, probitatem, humana etiam commoda. Sublevet tenuiores, ægrotos inviſat, protegat deſtitutos; ſeduli patris ac piæ matris viſcera in omnes expromat, præſertim in advenas & egentes: agat, ſi videbitur, cum eorum parentibus, aut ad illos ſcribat; eoſdem faciat de liberorum abſentia, profectu, negligentia, certiores.

Ita ſit accuratus in officio exigendo, ut moroſa ſeveritas abſit. Non omnia exigat ab omnibus: laudet conatum, ubi rem non poteſt. Prudenter Quintilianus boni inſtitutoris munus vult eſſe, adjuvare quæ in quoque diſcipulorum invenerit bona, adjicere quæ deſunt, emendare quædam ac mutare.

Tertium auctoritatis comparandæ caput eſt, ut magiſtrum diſcipuli timeant. Timebunt ſi minimè mollem ac remiſſum ſentiant: pauca, & juſta imperantem, imperata conſtanter & prudenter exigentem. Adjuvabit oris æquabilitas, & maturitas ſermonis, non aſpera illa quidem & tetrica, ſed plena conſtantiæ & gravitatis, quam ipſa voce firma et ſubinde ad increpandum vehementi et contenta, ſignificare oportebit. Incutit non levem etiam provectioribus ætate diſcipulis metum, ſi nihil eorum quæ agunt, clam eſſe parentibus ſuis intelligant.

Ut autem hæc tria, quibus magiſtri auctoritatem contineri diximus, votis ejus reſpondeant, in id incumbat, ut ſuos alumnos probe norit, & quid cujuſque ferat conditio, ingenium, ætas, indoles, exploratum habeat. curet alere concordiam cum Præfecto ſtudiorum & collegis ſuis : nihil præcipiti ductus animi æſtuantis impetu aggrediatur, omnia ſecum, & cum ipſo prius Deo, maturè deliberet.

ARTICULUS II.

DE MODESTIA ET ATTENTIONE DISCIPULORUM.

PRæter illa quæ quiſque in hanc rem obſervabit, juvat certa quædam ad alumnos in modeſtia et ſilentio continendos adnotare, præſertim natu grandiores, qui plus artis & induſtriæ deſiderant. Primum illud eſto, ut nunquam fermè loquatur magiſter cum diſcipulis, niſi de rebus quę ad litteras aut pietatem pertinent : nunquam cum iiſdem jocetur liberius, cavilletur, aut cachinnetur. familiaritas illa nimia & inconſulta contemptum parit : contemptus verecundiam, & frænos excutit.

Alterum ſit, ut principiis occurratur. Ubi ſe tantillum commovent, ſtatim comprimantur; & ſi qui ſunt levitate inſigniores, aut

fero-

ferocitate, paulatim variis artibus delaſſentur, ut jugum ferre leniter aſſueſcant. Tertio, cum ſuus cuique locus aſſignatur, initio anni, & ſingulis, pro more, menſibus; id non fiat temerè, utque caſus tulerit; ſed immodeſti ac petulantes aſſideant modeſtioribus; quorum ſuſpecti jure ſunt mores, adjungantur aliis, quorum ſpectata virtus & caſtimonia. Quarto; ne Scholam cum tumultu & clamoribus inconditis ſubeant: in eam, ut in Sacrarium quoddam, ingrediantur, tacitique ac modeſti perſtent; etiam antequam adſit prȩceptor, qui ſub initium illos plectet, a quibus aliquid pridie peccatum fuerit, aut eo ipſo die: non ita multos tamen: objectus enim ſtatim metus geſtientes; ut in ingreſſu fit, puerorum animos compeſcit.

Quinto, peccari contra modeſtiam & attentionem poteſt ab adoleſcentibus vel communiter, vel a paucis quibuſdam. ſi communiter peccatur, quærenda mali cauſa, & removenda: inveſtigandi clam ſeditionis auctores, duo treſve, ac ſplendide puniendi; vel etiam dimittendi; nonnunquam ratione ac benevolentia vincendi. minæ in omnes nunquam jactandæ, aut voces, quæ contemptum odiumve redoleant. non facilè mulcta litteraria toti Scholȩ imponatur, tunc enim efferati pœna coëunt, & in præceptorem, numero freti, conſpirant audaciùs. imo penſa illa extraordinaria, ſicut pœnȩ graviores,

Digitized by Google

paucis infligenda. medicum morbi frequentes, inuſitata remedia, continuata funera, dedécorant. Quò etiam illud pertinet, cujus mentionem antea fecimus, ne in puniendo ſit præceps magiſter; ne animum atrocem & averſum oſtendat, ſed paternum & ſui potentem; & cum verba ſufficiunt errori corrigendo, ne addat verbera; ſeque auctoritate potius, quàm ſeveritate tueatur. Accidit aliquando ut modeſtiam remittant pueri ſubito, nulla vel levi de cauſa: tunc magiſter penes ſe ſit, nihil effutiat iracundia; ſerio & virili vultu pueriles componat æſtus; ſilentio & nutu, interdum clara & elata voce, alias contemptu, quaſi nihil accidiſſet novi, pergat exequi quod habeat præ manibus, emendare ſcriptionem, auctorem explanare: aliàs præſenti nebulonis pœna murmur frangat.

Jam, ſi a paucis quibuſdam violatur modeſtia, reſciat quinam illi ſint,& quibus maximè modis emendandi: hoc expendat ipſe per ſe ſe, & ab aliis exquirar. Operam det ne pueri argutis digitis loquantur inter ſe ſe; aut micantibus oculis annuant; ne quid Schedæ alii ad alios miſſitent; ne ceſſent ac ferientur; ſcribant interdum quæ audiunt; ſic enim coguntur animis adeſſe. excitet contentionem laborandi, acuat ſciendi cupiditatem; horum ingenium ac diligentiam prædicet; illorum increpitet tarditatem: ſe nova, inaudita, mira, dicere profiteatur, ex inti-

Digitized by Google

intimo eruditionis deprompta penu, quæ ſervanda diligenter, & in reliquum vitæ tempus profutura. Id ſi diſcipulis perſuaſerit, attentos, modeſtos, ac ſibi devinctos in perpetuum, habebit. Adjuvare ſolertiam magiſtri diligentis, ad ea quæ hactenus diximus præſtanda poterunt libri quidam de puerorum inſtitutione conſcripti cujuſmodi ſunt, Plutarchi opuſculum de liberorum educatione: Jacobi Sadoleti libellus de liberis recte inſtituendis. P. Franciſci Sacchini Parænefis ad Magiſtros Scholarum inferiorum; ejuſdem ad eoſdem Protrepticon: P. Jacobi Pontani quædam Progymnaſmata: Patris Laurentii Le Brun Juventus Sancta: Inſtitutio Chriſtiani pueri, a P. Joanne Bonifacio conſcripta: JESUS in ſua pueritia.* à P. Claudio Buſſeo: P. Philippi Ultremanni Pædagogus Chriſtianus: Adoleſcens litterarum ſtudioſus, Horatii Combardelli: „ Diſcipulus perfectus " Alfonſi Andradæ: Diſcipulus inſtructus, Annibalis Roeri. ()

---

* *JESUS en ſon bas auge.*

„ *Il Giovane studente.*

" *El Eſtudiante perfetto.*

() *Lo Scolare inſtruito.*

Digitized by Google

ARTICULUS III.

DE FREQUENTIORIBUS DOCENTIUM VITIIS.

TEntari ſolet infringique docentium labor. 1. negligentia. 2. alienis ab inſtituto ſtudiis. 3. nimia cum pueris familiaritate. 4. agendi cum iiſdem ratione non ſatis æquabili; demum tædio ac defatigatione. Negligentia quidem, cum præceptor abhorret a labore: unde fit, ut remiſſius incumbat ipſe in litteras, atque adeo minus perite, & feliciter tradat ea, quæ ad plenum non callet: deinde cum parum eſt accuratus in obſervando, quem exercitationes Scholæ ac leges poſtulant, ordine. Nihil enim æquè domat indolem puerorum amantiorem libertatis, atque aſſiduitas magiſtri vigilantis, experrecti, & ad minima quæque deſcendentis.

2. Peccant graviter qui aliena quædam, et disjuncta ſtudia ſic domi colunt, ut nullam, aut perlevem Scholæ ſibi commiſſæ curam gerant. alius ſupellectilem ad habendas olim conciones comparabit; alius vernaculos panget verſus, Latinæ ut plurimum & Græcæ poeſeos ignarus; cum tamen utramque docere debeat, niſi cauſæ publicæ & ſuæ prevaricator eſſe velit.

3. Nonnulli plus juſto ſunt cum pueris familiares, non ſine ſuo periculo, & alumnorum

rum diſpendio. Quantum enim temporis boni abit in colloquia gerris Siculis inaniora? in lites pueriles, quarum ipſi patroni ſæpe actoreſque ſunt? Decet quidem magiſtrum quaſi repueraſcere cum pueris; at minimè pueriliter. Parentem ſe illorum quendam eſſe cogitet, non imitatorem & mimulum: ſæpè illud ſecum reputet, qui modo pueri ſunt, eoſdem viros brevi fore; imo ne nunc quidem ita eſſe pueros, quin probè videanr quid rectè, quid ſecus, fiat.

4. Plurimi non eundem agendi cum diſcipulis modum tenent: hodie graves ac ſerii, cras hilares & remiſſi; modo ſeveri & inexorabiles, alias placabiles & benigni. Hæc illa ſcilicet inæqualitas omnia corrumpit, & ingeniis puerilibus perturbandis, & ad immodeſtiam convertendis, opportuna eſt.

Poſtremo tædium afferre ſolet ipſa puerilis inſtitutio per ſe ſe, præſertim ſi diuturna ſit: ſi magiſter ætate provectior; ſi conflictetur cum ingeniis atrocibus & moleſtis; ſi exiguum operæ pretium faciat; ſi utatur valetudine minus commoda.

Aliqui ut Scholæ tædium levent, non quid pueris utile ſit, ſed quid ſibi minus incommodum, ſectantur. Itaque oſcitanter auctorem explanant: Scriptiones iis proponunt ex aliquo libro vernaculo ſumptas, eorum captui nequaquam accommodatas: jubent explicari hiſtoricum per integras Scholas, aut

librum neſcio quem lectitari:donec moleſtum docendi pondus, anno exacto uno alterove, excutiant.

His ut vitiis eatur obviam, id universè Chriſtiano, ac multo magis religioſo prȩceptori faciendum eſt,ut ſui muneris dignitatem & ſummas utilitates animo ſæpe verſet. meminerit quantum Deo; quantum pueris ſibi traditis in diſciplinam; quantum civitati & regno, in quo docet, debeat; quid oriturum ſit detrimenti, ſi perperam aut ſegniter munere ſuo fungatur; quam grave ſupplicium Sacræ litteræ denuncient ei, qui vel uni è puſillis offenſionem obtulerit; quid igitur illo fiet, qui eorum curam ſibi commiſſam abjecerit? qui agnorum cuſtos, lupus ipſis [quod Superi avertant] extiterit? Pro certo denique habeat, *puerilem inſtitutionem*, ut non nemo ſapienter dixit, *mundi renovationem eſſe*.

Neque vero humile quiddam & abjectum eſt inſtituere pueros, ut multi perperam ſuſpicantur. Quemadmodum enim cœleſte munus eſt sapientia & vera virtus, imò cœleſtium donorum longè maximum; ſic eam tradere, divinum opus & officium eſt. Tum ſi, teſte Gregorio Nazianzeno, *nihil tam divinum homo habet quam de aliis bene mereri*; ubi mereri de aliis poteſt melius, quàm ea tribuendo, quibus mens humana depulſis ignorantiæ tenebris, puriſſima luce colluſtratur,

tur, & voluntas vitiorum laqueis expedita in libertatem vindicatur? Non enim aridam & ſterilem ſcientiam præceptores Chriſtiani, quales Societas Scholis ſuis præficit, tradunt; ſed eam, quæ ſit veræ Sapiedtiæ fons, cujus *initium*, & ſumma *timor Domini eſt*. Virorum principum erudîſſe liberos, ætatum omnium & nationum judicio glorioſum eſt habitum: quantum igitur veræ gloriæ & dignitatis habet ipſius Dei filios erudire? cognatio quippe divina per Chriſtum verè extulit noſtrum, nobilitavitque genus; ut meritò Magnus Leo Pontifex clamet: *non ſit vilis homini, nec in quoquam deſpiciatur illa natura, quam rerum Conditor ſuam fecit*. Itaque quotquot in ludo pueros magiſter numerat, totidem ætate quidem parvulos, ſed magnos dignitate reges erudire ſe putet. Cernat tanquam ſub perſona latentem, in exiguis corpuſculis, divinæ ſpeciem originis, lineamenta cœleſtis cognationis, ſanguinem Chriſti; in iiſdem pretium crucis, jus regni, hæreditatem æternitatis, contempletur: tum verò, quàm non modo libenter, ſed etiam ambitioſè docendi munus exercebit?

Neque minorem utilitatem habet inſtitutio puerilis, quàm dignitatem. Ecquod enim bonum fingi poteſt, quod æquè neceſſarium ſit, quod latiùs pateat, quod diutiùs maneat, quod minore negotio periculoque conſtet? laudetur enimvero Sacrorum Orato-

rum

rum munus, qui verba faciunt ad populum, & cœleſtis doctrinæ ſemen ſpargunt: illi tamen divinam ſementem ſæpe diſperdunt, quia obſtructas auditorum aures, ut contritam pedibus prętereuntium viam, verberant, quia non eoſdem ſemper nanciſcuntur auditores; quia imparatos, & graviſſimis cupiditatibus, ut ſpinis, præpeditos; quia ſæpe, pro auditoribus, obtrectatores habent, invidoſque cenſores. contra magiſter Chriſtianus iiſdem eandem oggerere doctrinam ſalutarem poteſt; habet a quibus benevolè ſemper audiatur, qui ex ejus ore nutuque pendeant: quantam hinc & prophanæ, & cœleſtis Sapientiæ frugem, niſi per ipſum ſtet, exiſtere neceſſe eſt? quid quod concionatorum labores atterere vermis quidam & domeſtica labes ſolet, inanis ex hominum plauſu & favore gloria; cujus illecebras ac periculum ludi puerilis obſcuritas neſcit.

Operæ pretium ingens feciſſe ſe vir Sanctiſſimus arbitrabatur, ſi vel unam Dei offenſam multis laboribus prohibere potuiſſet: magiſter ſedulus puros a multiplici labe, non pueros tantum, ſed eorumdem opera parentes, & familiam integram ſæpe præſtat. Ego verò ſic exiſtimo, beatos hominum animos cælo donatos, dum clarè intelligunt quàm immane malum ſit Dei Majeſtatem vel ſemel culpâ letali violaſſe, nullum invenire pręmii genus, quod à ſe non deberi putent iis, quo-

rum

Digitized by Google

rum ope a tanto exitio erepti ſunt. quid? ſi primum adoleſcentiæ florem illibatum intactumque ſideribus intulerint, quanto beneficiũ cium dulcius erit? quantas habebũt gratias ſuis illis Servatoribus, quãtas referre conabũtur?

Quod ſi tam utilis opera ſapientis Magiſtri publicè ac privatim aliis eſt, non poteſt ipſi profectò non eſſe fructuoſa; vel quia docendo ſæpe diſcit, vel quia verſatur ejus labor in quotidiana maximarum exercitatione virtutum: humilitatis & caritatis; adde patientiam, adde benignitatem, adde alias iis affines virtutes ac dotes, quæ cum tanti ſint apud Deum pretii, quantas opes in præceptoris Chriſtiani ſinum congerent? quam amplam & exaggeratam. longa & àttenta negotiatione, meritorum menſuram efficient? Tenui eleemoſyna peccata extinguuntur, ut ſacræ multis in locis litteræ affirmant, ira numinis placatur, cœleſtes divitiæ comparantur: & hanc admirabilem, quæ in hominum animos multò nobiliores corporibus, & multò egentiores, confertur, miſericordiam non iiſdem ac multo potioribus munerandam præmiis cenſebimus? frigidę calicem ſitienti oblatum in omnium gentium ſupremo conſeſſu Chriſtus magnificè prędicabit; num evangelicę doctrinæ rivos tam libenter effuſos in Chriſtianam pubem ſilebit? Corona civica debebatur illi qui civem ſervaſſet; quàm multiplex ei debetur qui tam multos ab interitu eripuerit? prę-

fectu-

Digitized by Google

fecturis & conſulatibus ceteriſque honoribus ampliſſimis ornatos accepimus, qui Regum, vel Imperatorum filios bonis artibus litteriſque finxerunt: quam ampla mercede filiorum ſuorum inſtitutores cœleſtis Pater, ſuorum fratrum moderatores Chriſtus Rex Regum, cumulabit?

Aptè cadunt in eam rem aureæ Chryſoſtomi voces, lib. 3. contra vitup. vitæ monaſt. *Si is, qui vel athletas civitatibus nutrit, vel exercet ad Regis obſequium milites, maximis honoribus fruitur; quanta nos munera, quot coronas accepturi ſumus, qui tam magnos & eximios viros, veriùs dicam, angelos, Deo educamus?*

Accedit quod participes magiſtri ſunt rectè factorum, non modo quę pueri, cum laude gerunt; ſed quæ deinceps per omnem vitam exequuntur: quippe ſunt fruges ſeminum, quę illi jecerunt. lubet hîc repręſentare verba quibus Sanctiſſimi Confeſſores à S. Cypriano ad cauſam fidemque Chriſti, vel ipſo capitis periculo tuendam incitati, gratias eidem agunt. (S. Cyprian. lib. IV. Epiſt. 26.] *Reddet tibi Dominus pro iſta tua caritate mercedem; non minus enim coronæ mercede dignus eſt, qui hortatus eſt, quàm qui paſſus eſt; qui docuit, quàm qui fecit. non minus honorandus qui monuit, quàm qui dimicavit. Niſi quod nonnunquam magis gloriæ cumulus redundat ad eum, qui inſtituit, quàm ad eum, qui ſe docilem diſcipulum ſubminiſtravit; hic enim fortaſſis hoc quod exercuit*

non

Digitized by Google

non habuiſſet, niſi ille docuiſſet. Nempe illud eſt quod diſertis verbis Chriſtus conteſtatur: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

Viderunt hoc Sanctiſſimi viri: vidit inclytus martyr & Epiſcopus Caſſianus, qui ab ſua diœceſi Brixienſi pulſus, apud Forum Syllæ conſedit, ibique ludum litterarium aperuit; hanc paſtorali muneri proximam curam eſſe ratus, inſtituendæ juventutis. Vidit magnus ille Protogenes, qui à Valente Imperatore Edeſſa ejectus in Ægyptum, cum Antinoen veniſſet, ac deſertam propemodum a Chriſtianis ædem sacrã, ſilveſcentemque vitiis & ſuperſtitione urbem cerneret; aliam non invênit commodiorem viam fidei, pietatiſque revocandæ, quàm Scholam puerilem: itaque dum ſimplicem gregem, una cum grammaticę rudimentis, divina oracula & pſalmos edocet, brevi perfecit, ut non ſolùm compleretur Eccleſia, ſed et viæ, laudibus Chriſti perſonarent. Vidit Gregorius Nazianzenus, qui, ut commodare puerorum ætatulę poſſet, ſummam illam, qua pollebat cœleſti ſapientiæ majeſtatem, ad verſus faciendos demiſit. Vidit Hieronymus, qui, quod Ruffinus ipſi objicit iniquiſſima exprobatione, *poſitus in Bethleem, Maronem ſuum, comicoſque ac lyricos, & hiſtoricos auctores, traditis ſibi ad diſcendum Dei timorem puerulis exponebat.* Viderunt Sanctiſſimi viri Benedictus, Gregorius Magnus, VVolfangus, & alii innu-

innumerabiles;quorum nonnulli media in palæſtra & corona puerorum, id quod de Joanne Gerſonio,illo inſigni Pariſienſis Academię Cancellario, proditum eſt, ultimum exhalare ſpiritum voluerunt.

Non ſum equidem neſcius opus eſſe grave & laborioſum, in Scholarum pulvere florem ætatis, & valetudinem interdum, conterere; molam eandem, per annos aliquando plures, verſare; puerorum ineptias improbitatemque perferre: ſed illud etiam nemo non intelligit, cùm ad laborem nati ſimus, & noſtro non minus, quam primorum parentum ſcelere, damnati; utiliſſimum qualem hunc eſſe conſtat, etiam eſſe expetendum. Grandis eſt labor? non nego: at, quantulus tamen, ſi ad æternitatis præmium ſpectes? multæ moleſtię devorandæ? at, quàm multi graviores ærumnas quotidie exhauriunt, exigui lucri ſpe ac mercedis? Vulgarium opificum quotuſquiſque eſt, quem artificii ſui, etſi laborioſi, tædium capiat? veteranos milites quam multos in caſtris, in acie, mediis in periculis; quam multos mercatores inter naufragia Syrteſque, inſtantes operi & indefeſſos, ultima ſenectus aut luctuoſa mors occupavit? *Si tantos labores*, inquit Auguſtinus, *cum avaris portat cupiditas, nobiſcum non portet caritas?*

Inſigne procul dubio ac memorabile, eſt quod de Romano Centurione narrat Livius (4. Dec. lib. 2.) Is in Macedonia, in Italia, Hi-

Hiſpania , & variis Aſiæ partibus , militaverat . Poſtea , revocatis in Macedonicum bellum Senatûs decreto centurionibus , & veteranis conſcribi juſſis , cum cæteri cunctarentur ; licèt illi ſubeſſent tam multæ , tamque juſtæ , cur militiam detrectaret , cauſæ ; duo & viginti emerita ſtipendia ; novi & incerti laboris onus, fractum vulneribus honeſtis corpus , ſenio etiam ingraveſcente debilitatum ; ad hæc commilitonum exemplum , otium & miſſionem jure quodam ſuo flagitantium : nihilominus , *Ipſe me* , inquit , *quoad quiſquam , qui ſcribit exercitus, idoneum militem judicabit, nunquam ſum excuſaturus : ordinem quo me dignum judicent tribuni militum, ipſorum eſt poteſtatis ; ne quis me in exercitu virtute præſtet, dabo operam . Vos quoque æquum eſt , commilitones in poteſtate Senatûs & Conſulum eſſe , & omnia honeſta loca ducere , quibus rempublicam defenſuri ſitis .*

Sed illos potius intueamur, qui egregio fidei amplificandę ac religionis ardore ſuccenſi, inter nationes , ſive excultas moribus , ſive barbaras , æſtum diei ac pondus ferunt , & in rudibus mentibus excolendis ſudant , humanis ſæpe ſolatiis deſtituti , *in fame & ſiti , in frigore & nuditate* . * Non iſta nos exempla commovebunt? non exprobantem nobis Chriſtum audiemus ? *Nunquid fratres veſtri ibunt ad pugnam, & vos hîc ſedebitis ?* " Profectò ſi quid

* 2. *Cor.* " *Num.* 32.

quid animi nobis & pudoris eſt, dolebimus quod aliquis nobis, in tam glorioſo labore, præponatur; neque onus excutere, ſed augere, conabimur.

Non eſt tamen iſte tam aſper & improbus quam inexpertis appâret, labor. Ut futura mittamus præmia, non deſunt lenimenta pręſentia. Primum aſſuetudine ipſa labor fit tolerabilis; tum, ut in aliis artificiis ac diſciplinis, ita in hac, dies procedens aperit multa compendia, multa ſagax uſus levamenta ſuggerit. Nihil dico de jucunditate, quæ ex diſcipulorum indole ingenua, de illorum profectu in litteris & pietate percipitur: nihil de multorum grato ac memori animo, quem plerique poſtea rebus ipſis ac beneficiis teſtantur: quòd ſi videre eſt nonnullos interdum oblitos noſtri, vel hoc ipſum apponere lucro magiſter Chriſtianus poteſt, quod ſoli Deo, quem ſerius ocyus memorem ſentiet, gratificatus ſit.

At enim, inquiet aliquis, exiguus ſæpe fructus non exiguo labori docentium reſpondet? An verò ſeges ſemper votis agricolæ reſpondet ac ſudoribus? nonne Mars ille communis aliquando ſpem fortiſſimorum militum ducumque fallit? Quantùm emolumenti eſt, ſi ope noſtra, virtus vel ad breve colatur tempus; ſi vel ad unum diem vitia fugiantut? quod ſi pueri interdum, ubi adoleſcunt, noſtram fruſtrantur expectationem; quid, ro-

go, fieret, ſi curarentur negligentiùs, aut ſi eſſent omnino deſtituti? Sed emergunt illi ipſi tamen aliquando, & ad frugem ſe recipiunt. Virtutis ſeges vitiorum tribulis, quibus premebatur, vel ætate fractis, vel caſu aliquo ſucciſis, revireſcit ac floret. Ad extremum, cujuſmodicumque laborum noſtrorum exitus futurus eſt, præmium non ſucceſſui, ſed labori; non fructui, ſed ſtudio noſtro conatibusque, reſpondebit. *Qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt ſicut Stellæ in perpetuas æternitates.* *

* *Daniel c. 12.*

Pag.	lin.	ERRATA.	CORRIGE.
11.	7.	intelligantur	intelligatur
19.	6.	optimorom	optimorum
25.	2.	ſedictione	ſeditione
27.	27.	dicto	dictio
28.	1.	Phioſophus	Philoſophus
28.	24.	ſupplevis	ſupplevit
29.	27.	CÆLIUS	CÆCILIUS
29.	29.	Sorone	Sorore
41.	17.	oritur	oriatur
45.	33.	*Videl.*	*Vide*
58.	1.	reperias. Sed	reperias : ſed
67.	28.	commemorave	commemorare
69.	7.	filium	filius
73.	13.	Affricam	Africam
75.	30.	timeat	timet
81.	9.	comœdia? Cujus	comœdia, cujus
85.	3.	Phiſica	Phyſica
87.	12.	non nunquam	nonnumquam
87.	22.	comparatur	comparatus
97.	6.	αἰνίττομε	αἰνίττομαι
100.	5.	Græca, Latinè	Græca γρῦπος, latinè
104.	5.	foſtilia	foſſilia
104.	20.	animarum	animorum
107.	30.	recenſioribus	recentioribus
113.	10.	auriunt	hauriunt
116.	13.	præcationis	precationis
117.	6.	ſtudioſam præcipue	ſtudioſam juventutem præcipue
128.	24.	recitare	recitari
131.	17.	tenebit	implebit
148.	2.	præcipui	præcipuæ
150.	1.	dictamo	dictamno
151.	6.	inſertum	inſertus
164.	6.	inutiles, ſeu	inutiles. Iſti cēſores, ſeu
169.	8.	Ceberis	Cebetis

INDEX.

PRÆFATIO. pag. 3.

PRIMA PARS.

Ratio docendi. pag. 6.

Caput I De linguarum cognitione. pag. 7.

Artic. 1. Linguarum cognitio neceſſaria, præſertim Græca. pag. 7.

§. 1. De modo linguę Græcæ perdiſcendæ. pag. 8.

§. 2. Auctores præcipui linguæ Græcæ. pag. 11.

Artic. II. Studium Latini Sermonis. pag. 17.

§. 1. de Stilo universè. p. 17.

§. 2. De Stilo Oratorio. p. 20.

§. 3. Ratio Stili procudendi. pag. 22.

§. 4. Modus imitandi auctores. pag. 24.

§. 5. Auctores optimi linguæ Latinæ. pag. 26.

Artic. III. De Studio linguæ vernaculæ. pag. 30.

Artic. IV. Stili vitia. pag. 32.

§. 1. de Stilo obſcuro. pag. 32

§. 2. De Stili brevitate nimia, et prolixitate: tumore et humilitate. pag. 34.

§. 3. De Stilo arguto, & abrupto. pag. 36.

Artic. V. Stili virtutes. p. 38.

§. 1. De Stilo ſubtili, ſplendido, et ingenioſo. p. 39.

§. 2. De Stilo ſublimi. p. 41.

Caput II. De Scientiarum perceptione. p. 45.

Artic. I. De Rhetorica. p. 45.

§. 1. de ſcribenda oratione. pag. 46.

§. 2. de Orationis propoſitione. pag. 48.

§. 3. De orationis diviſione. pag. 49.

§. 4. De orationis compoſitione, ac ſtructura. pag. 52.

§. 5. Duæ partes confirmationis, fides, et motus, quomodo tractanda. pag. 53.

§. 6. Refutatio. Ejus duplex locus. pag. 56.

§. 7. Quid in oratione ſcribenda peccari vulgo ſoleat. pag. 58.

§. 8. Quid ſit declamatio: ejus leges. pag. 61.

§. 9. Ratio pronunciandi: ſive ars vocis & geſtus. pag. 62.

§. 10. Unde peti declamationum argumenta poſſint. pag. 66.

Artic. II. de Poetica pag. 70.

§. 1. Quid ſit Poeſis. p. 70.

§. 2. De Poemate Epico. p. 71.

§. 3. De Poemate Dramatico. pag. 75.

Digitized by Google

§. 4. De Tragœdia. pag. 77.
§. 5. De Comœdia. pag. 80.
§. 6. De Mimis, Choreis, & aliis rebus ejuſmodi quę Dramaticis fabulis inſeruntur. pag. 82.
§. 7. Præſtantiorum Poetarum nomina, ætas, ſtilus. pag. 84.
Artic. III. De Hiſtoria, Chronologia, & Geographia. pag. 89.
§. 1. Libri quidam neceſſarii ad hiſtoriam cognoſcēdam. pag. 89.
§. 2. Adjumenta diſcendæ Chronologiæ, & Geographiæ. pag. 90.
§. 3. De Hiſtoricis Græcis, & Latinis. pag. 91.
Artic. IV. De Polymathia, ſeu Philologia. pag. 96.
§. 1. Variæ diſciplinæ, quæ pertinent ad Philologiam. pag. 96.
§. 2. Quid ſit Ænigma: quomodo conficiendum, & explicandum. pag. 97.
§. 3. Quædam ænigmati affinia. pag. 100.
Caput III. De variis doctrinæ parandę adminiculis. pag. 103.
Artic. 1. De notis, & excerptis. pag. 103.
Artic. II. Ordo ſtudendi. pag. 105.
Artic. III. De frequentioribus ſtudentium erratis. pag. 111.

SECUNDA PARS.
Ratio docendi. pag. 114.
Caput I. De imbuendis pietate diſcipulis. pag. 114.
Artic. I. De Præceptoris ipſius pietate. p. 115.
Artic. II. De piis ſermonibus, qui haberi cum diſcipulis poſſunt. pag. 118.
Artic. III. De variis artibus fovenda diſcipulorum pietatis. pag. 122.
Caput II. De diſcipulorum eruditione. pag. 125.
Artic. I. De duplici ſtudiorum ſtimulo. pag. 125.
Artic. II. De privatis diſcipulorū ſtudiis. p. 130.
Artic. III. De publicis Scholę exercitationibus. pag. 133.
§. 1. Nonnulla de illis

uni-

univerſè præcipiuntur. pag. 133.

§. 2. *Scholæ exercitationes ſingillatim expenduntur.* pag. 135.

§. 3. *de interpretatione vernacula, concertatione, &c.* pag. 140.

Artic. IV. Modus explicandæ prælectionis. pag. 143.

§. 1. *Prælectio quomodo rhetoribus exponenda. Locus M. Tulli Ciceronis explicatur.* pag. 143.

§. 2. *Alterum exemplum in loco Virgiliano proponitur.* p. 149.

§. 3. *Modus explicandæ prælectionis in Scholis infimis Grãmaticæ.* pag. 155.

§. 4. *Explicatur locus Ciceronis, pro Schola media Grammaticæ.* pag. 159.

Artic. V. Quædam ad Scholæ regimen ſpectantia. pag. 163.

Artic. VI. De puerorum pædagogis. pag. 166.

Artic. VII. Libri ſingulis in Scholis prælegendi. pag. 168.

Artic. VIII. De Rhetorum Schola domeſtica. pag. 170.

Caput III. *Præcipua quædam bene docendi præſidia.* pag. 174.

Artic. I. De auctoritate præceptoris. pag. 174.

Artic. II. De modeſtia, & attentione diſcipulorum. pag. 178.

Artic. III. De frequentioribus docentium vitiis. pag. 182.

THYR-

Digitized by Google

THYRSUS GONZALEZ

Præpoſitus Generalis Soc. JESU.

CUM Librum, cui titulus: *De ratione Diſcendi, & Docendi*, à Patre Joſepho Juventio Societatis noſtrę Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet ita videbitur, cujus rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo munitas dedimus. Romæ 15. Junii 1703.

Thyrſus Gonzalez.

Loco ✠ Sigilli.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIONES

Admodum R.D.Antonius de Cappellis S.T.D attentè perlegat hoc opus inſcriptum : *De ratione Diſcendi*, *&* *Docendi*, an quidquam in eo contineatur Fidei noſtrę Orthodoxę, aut bonis moribus repugnans, & referat. Datum ex Archiepiſcopali Palatio die 13. Julii 1703.

Fr. M. de Arrighis Vic. Gen.

Præſens Opus, *De ratione diſcendi*, *&* *docendi*, ſummo ſtudio, & arte elaboratum, & litterariam diſciplinam docentibus non minus quam petentibus ſummopere perutile, de mandato Illuſtriſs., et Reverendiſs. D. mei Vicarii Gener. attentè perlegi, cumque in eo nihil Ortodoxę Fidei contrarium, boniſque moribus repugnans invenerim, publica luce digniſſimum cenſeo.

Antonius Cappellus S. T. D.

Attenta ſupradicta relatione imprimatur.

F. M. de Arrighis Vic. Gen.

Ex

Digitized by Google

Digitized by Google